




# Primus liber Moysi qui inscribitur Genesis

<https://hdl.handle.net/1874/428903>



## **Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

## **This book is part of the Van Buchell Collection**

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kast 431  
PL. Q. N<sup>o</sup> 27












D. oct.


~~165~~


Kant 131


pl. Qm 27.
















N. 29 A.

PRIMVS LIBER

MOYSI,

QVI INSCRIBITVR

GENESIS,

*Ex dono H. Basseki.*

AD EBRAICAM VERITATEM  
RECOGNITVS, ET ARGUMENTIS  
ATQUE SCHOLIIS  
ILLUSTRATVS

A Victorino Strigelio.



In fine adiunctæ sunt sex orationes de patriarchis, quorum historiae in hoc libro continentur.

CVM PRIVILEGIO.



THE  
M O Y S E

VI IN A C K I

GE N E S I S

THE

BOOK

OF

A

V I C T O R I O U S

E N G L I S H

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

*INCALYTO ET  
ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
D. Alberto Friderico Illustrissimi Princi-  
pis & Domini D. Alberti senioris, &c.  
filio, Marchioni Brandeburgensi,  
Duci Prussie, &c. Burggraui  
Noribergensi, &c. Domi-  
no suo clementissimo  
S. D.*

**M**VLTIS HAEC FALSA PER-  
suasio infixæ est, nihil interesse  
inter Moysem & Platonem, &  
nullam doctrinam in libris Moyfi ali-  
am aut meliorem contineri, quàm sit  
Platonis sapientia de Deo, de vinculis  
humanæ societatis, de gubernatione  
hominum, de bonis moribus. Ita enim  
censent, itaque disserunt, congruere  
Timæum Platonis de ortu mundi cum  
primo libro Moyfi, & libros de legibus  
cum Deuteronomio. Quemadmodum  
enim Moyfes in Genesi describit ma-  
gnum & admirandum DEI opus, cœli  
& omnium corporum, omniumq; ani-  
mantium fabricationem: Ita, inqui-  
unt,

unt, Plato in Timæo philosophatur de naturæ initijs & de D E O opifice, quem agnoscit esse mentem æternam causam boni in natura. Deinde vt Moyses in Deuteronomio concionatur de gubernatione ciuili & de bonis moribus: sic Plato in libris de Legibus præcepta colligit vtilia ad gubernationem ciuitatum, ex quibus tanquam ex fontibus multa Iurisconsulti Romani hauserunt. Præclarè ergo Numenius Pythagoricus apud Eusebium libro vndecimo præparationis Euangelicæ dixit: *τί γὰρ ἔστι πλάτων ἢ μωσῆς ἀπικίζων;* Quid est Plato nisi Moses Atticè loquens? Quæ enim à Moyse simpliciter & nude exponuntur, ea Plato ornauit mirifico splendore orationis. Sed hæc falsa opinio refutanda est, vt firmissime statuamus longe aliam sapientiam in libris Moysei contineri. Ingens & infinitum discrimen est inter Timæum Platonis & eum librum Moysei, cui titulus est Genesis. Etsi enim Timæus Platonis disputat de mundi opificio, de duplici motu cœlesti, de ordine planetarum, de serie elementorum, de hominis generatione, de natura humorum, de  
 humani



## D E D I C A T O R I A.

humani corporis membris, de anima: tamen non describit DEVM vt se patefecit, nec discernit personas diuinitatis, sed receptam vulgi idolatriam confirmat inquit: Difficillime factu est, à dijs ortis fidem non habere, quam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur. Sed quia de suis notis rebus videntur loqui, veteri legi moriq; parendum est. Sic igitur vt ab ijs est traditum, horum deorum ortus habeatur atq; dicatur, vt Oceanum Salaciamq; cœli satu terræq; conceptu generatos editosq; memoremus. Ex ijs Saturnum & Opem, deinceps Iouem atq; Iunonem reliquos fratres inter se agnatosq; ysurpare atque appellare solemus, & eorum profaniam. Hæc ille. vt Cicero particulam Timæi in libro de vniuersitate interpretatus est.

AT MOYSES deducit nos in Genesi ad hunc vnum DEVM, qui conditis rebus se generi humano certis & illustribus testimonijs patefecit, & quasi prodiens ex sua arcana sede se ostendit, tradita & commendata certa quadam doctrina, quæ non tantum est lex

infita omnium mentibus, & nota omnibus gentibus, sed etiam promissio de reconciliatione generis humani, de abolendo peccato, & abolenda morte, & de restituenda salute æterna per filium DEI mediatorem. Hanc arcanam & admirandam sapientiam ignotam angelis & hominibus sine singulari patetactione Moyfes in Genesi & Deuteronomio Ecclesiæ proponit. Sic enim in prima promissione dicitur, Semen mulieris conteret caput serpentis. Eadem promissio postea repetita est Abrahamæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Deinde rursus Iacob inquit: Non auferetur sceptrum à Iuda, & dux à pedibus eius, donec veniet Siloh, & ad ipsum fiet congregatio gentium. Postea clare dicitur Deuteronomij 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, sicut te, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Quare Moyfes non tantum minister est veteris Testamenti, hoc est, legis & politiæ Iudaicæ, sed etiam propheta noui Testamenti, quia docet Ecclesiam inde vsque ab initio recipi à DEO, propter

propter venturum liberatorem.

ET SI autem promissio de filio DEI & æternis eius beneficijs propria est Ecclesiæ doctrina, & eam à cæteris gentib. præcipue discernit: tamen Ecclesia etiam voce legis moralis ab alijs sectis distinguitur. Nam in sola Ecclesia DEI mansit lex diuina incorrupta, vt sit testimonium, qui populus sit Ecclesia. Omnes enim aliæ gentes approbauerunt quædam scelera contraria Decalogo, vt contra primam tabulam cultus idolorum apud omnes gentes extra Ecclesiam approbati sunt, & contra secundam tabulam permissæ pactiones de adulterijs apud Lacedæmonios, & apud Romanos homicidia gladiatorum permissa sunt. Hoc testimonium de Ecclesia consideremus, & sciamus semper in vera Ecclesia inde vsq; ab Adam fuisse integram vocem legis moralis, quæ quidem in Deuteronomio limata & illustrata proponitur.

SED redeo ad Genesin, quam & temporis vetustas nobis commendat, & rerum bonitas. Nullum est enim scriptum antiquius. Deinde nullum exordia mundi, & tempora certo distin-

etia numero annorum, origines gentium & migrationes, initia religionum & deprauationes certa serie describit, vt hæc Moyſi hiſtoria. Cum igitur Platonis monumenta recentiora ſint, cum nihil de ortu & propagatione religionum certi dicant, deniq; cum abſurdam opinionem de multitudine deorum approbent, neceſſe eſt anteferri Moyſen. Ac ne quis fingi hæc potuiſſe cogitet, **D E V S** multa perſpicua teſtimonia ſuæ vocis edidit, vt ſeruatiõnem Nohæ in diluuiõ, eduçtionem mirandam populi ex Aegypto. Iuſſit præterea Solem conſiſtere, iuſſit regredi Solem, excitauit mortuos. Hæc illuſtria miracula exhibita ſunt, quia **D E V S** certiffima teſtimonia de ſeſe & de ſua lege, de promiſſione, de collectiõne Eccleſiæ conſpici voluit, quæ quidem cogitari vult omnibus ætatibus, vt aſſenſio de **D E O** & de tota Eccleſiæ doctrina in nobis confirmetur.

**C V M A V T E M** maximè proſit primum librum Moyſi familiariffime notum eſſe omnibus, & extet **D E I** beneficio integra & luculenta enarratio in Genefin edita à reuerendo viro **D. Martino**



## D E D I C A T O R I A.

Martino Luthero, non volui lectorem longis commentarijs onerare, sed diligenter contuli vulgarem versionem huius libri cum Ebraicis fontibus, qua quidem in re plurimum à D. Luthero adiutus sum, & addidi singulis capitibus argumenta & scholia, quæ spero aliquid lucis textui allatura esse. Nec vero me terrent quorundam iniqua iudicia, qui in singulis scripturæ dictis longas declamationes requirunt. Non enim hoc mihi propositum est, vt lectorem procul à textu abducam, sed illud potius ago, vt pij in cogitatione vocis diuinæ detineantur. Quod enim nullis commentarijs exhauriri scripturæ diuinitus traditæ sapientia possit, testatur Augustinus epistola tertia: Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, Non quo ad ea quæ necessaria sunt salutis, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cum quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteq; non viuitur, tam multa, tamq; multi-



## E P I S T O L A

plicibus myſteriorum umbraculis opa-  
ca intelligenda proficientibus reſtant,  
tantaq; non ſolum in verbis, quibus  
iſta dicta ſunt, verumetiam in rebus,  
quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo  
ſapientiæ, vt annoliſſimis, acutiſſimis,  
flagrantiffimis cupiditate diſcendi hoc  
contingat, quod eadem ſcriptura quo-  
dam loco habet, Cum conſummauerit  
homo, tunc incipit.

TIBI VERO, Illuſtriſſime Prin-  
ceps Alberte Friderice, hoc præcla-  
rum Moyſi ſcriptum dedico, quod eſt  
ſons totius ſapientiæ prophetiæ, &  
fundamentum noui Teſtamenti, quia  
ſcio te Eccleſiæ doctrinam pio ſtudio  
complecti, quod quidem facis exemplo  
tui patris Alberti ſenioris Ducis Pruſ-  
ſiæ, cuius ſapientiam, pietatem & vir-  
tutem omnes boni merito prædicant.  
Ac ſæpe mihi de patre tuo, qui Eccle-  
ſiam & eius doctrinam amat & benigne  
fouet, cogitanti, venit in mentem regis  
Aegyptij Pharaonis, quem Ioseph de  
vera agnitione Dei erudijt, quiq; ho-  
ſpitium familiæ Iacob tranquillū præ-  
buit. Sic enim & pater TVVS Euan-  
gelium vero ſtudio diſcit, & DEVM  
vera

DEDICATORIA.

vera inuocatione colit, & Ecclesias  
 atque scholas fouet & ornat, & simul  
 consilia sua ad communem pacem sum-  
 ma moderatione accommodat. Ac-  
 cipies igitur hoc munus ita, vt cogites  
 doctrinam in historijs Adam, Nohæ,  
 Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph conti-  
 neri amplissimam & copiosissimam de  
 rebus maximis, & huius consideratio-  
 ne tuum animum etiam regas & con-  
 firmes. Oro autem filium Dei, vt te  
 vnâ cum Illustrissimo & optimo Prin-  
 cipe patre tuo, & matre nobilissima  
 & generosissimis sororibus diu floren-  
 tem & incolumem conseruet. Bene  
 vale Illustrissime princeps, & Ecclesiæ  
 studia paterno exemplo ama. Lipsiæ  
 Cal. Martij Anno CHRISTI 1566.

Illustrissimæ Celsitu-  
 dini tuæ

Addictissimus

*Victorinus  
 Strigelius.*

DESCRIPTIO

1. ...  
 2. ...  
 3. ...  
 4. ...  
 5. ...  
 6. ...  
 7. ...  
 8. ...  
 9. ...  
 10. ...  
 11. ...  
 12. ...  
 13. ...  
 14. ...  
 15. ...  
 16. ...  
 17. ...  
 18. ...  
 19. ...  
 20. ...  
 21. ...  
 22. ...  
 23. ...  
 24. ...  
 25. ...  
 26. ...  
 27. ...  
 28. ...  
 29. ...  
 30. ...  
 31. ...  
 32. ...  
 33. ...  
 34. ...  
 35. ...  
 36. ...  
 37. ...  
 38. ...  
 39. ...  
 40. ...  
 41. ...  
 42. ...  
 43. ...  
 44. ...  
 45. ...  
 46. ...  
 47. ...  
 48. ...  
 49. ...  
 50. ...  
 51. ...  
 52. ...  
 53. ...  
 54. ...  
 55. ...  
 56. ...  
 57. ...  
 58. ...  
 59. ...  
 60. ...  
 61. ...  
 62. ...  
 63. ...  
 64. ...  
 65. ...  
 66. ...  
 67. ...  
 68. ...  
 69. ...  
 70. ...  
 71. ...  
 72. ...  
 73. ...  
 74. ...  
 75. ...  
 76. ...  
 77. ...  
 78. ...  
 79. ...  
 80. ...  
 81. ...  
 82. ...  
 83. ...  
 84. ...  
 85. ...  
 86. ...  
 87. ...  
 88. ...  
 89. ...  
 90. ...  
 91. ...  
 92. ...  
 93. ...  
 94. ...  
 95. ...  
 96. ...  
 97. ...  
 98. ...  
 99. ...  
 100. ...

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

E N C O M I V M  
LIBRORVM MOYSI  
IN APOLOGETICO  
TERTVLLIANI.

**P**RIMAM instrumentis auctoritatem  
summa antiquitas vendicat. Apud  
vos quoque religionis est instar fidem de tem-  
poribus asserere. Omnes itaque substantias,  
omnesque materias, origines, ordines, veterani  
cuiusque styli vestri, gentes etiam plerasque, &  
urbes insignes, historiarum causas & memo-  
riarum, ipsas denique effigies literarum, indices  
custodesque rerum, & (puto adhuc minus di-  
cimus) ipsos inquam deos vestros, ipsa tem-  
pla & oracula & sacra, unius interim pro-  
pheta scrinium seculis vincit, in quo videtur  
thesaurus collocatus totius Iudaici sacramen-  
ti, & inde etiam nostri.

*Iustinus Martyr in Apologia ad  
Antoninum Imperatorem.*

MOYSES antiquior est omnibus scri-  
ptoribus Grecis, & quaecumque philosophi &  
poetae de immortalitate anime, & de penis  
post hanc vitam, & de consideratione coelestium  
dogmatum scripserunt, ea à prophetis mutuati  
sunt tanquam semina veritatis.

*Affi-*

*Africanus apud Eusebium lib. X.  
preparationis Euangelicæ.*

*QVICQVID* apud Græcos vetustatis  
laude excellit, id omne longo intervallo Moy-  
sen sequitur.

*CVM* igitur libri Moysi fontes sint to-  
tius scriptura prophetica & apostolica, &  
ipsa antiquitate omnibus scriptis in Ecclesia  
& extra Ecclesiam antecellant, accurata le-  
ctione dignissimi sunt, ut consideremus que  
fuerit prima & antiquissima Ecclesia doctri-  
na de Deo, de creatione rerum, de statu hu-  
manæ nature ante & post lapsum, de causis  
& pœnis peccati, de Mediatore, de fide &  
de cæteris articulis, qui ad fundamentum  
pertinent.

*IUDICIA SVMMORVM  
THEOLOGORVM NOSTRÆ  
ætatis de primo libro Moysi.*

*Martinus Lutherus.*

*IN* scriptura sancta nihil pulchrius est  
Genesi.

*Philippus Melanchthon.*

*NIHIL* dubium est librum Geneseos  
omnium scriptorum prophetiæ eruditissi-  
mum esse.

*GENE-*

GENERALIS  
DISPOSITIO  
GENESEOS.

**G**ENESIS commodissime in sex libros distribuitur, quorum primus Adę historiã recitat. **S**ECUNDVS præconę iusticię Nohe celebrat. **T**ERTIVS Abraham describit, cuius historia propter repetitam promissionem de femine benedicturo omnes gentes, & propter exempla fidei & aliarum virtutum perpetua memoria digna est. **Q**UARTVS continet historiam Isaac. **Q**VINTVS exponit ærumnas Iacob, & in his præsentiam filij **D**EI liberantis eum. **S**EXTVS & postremus est historia de Ioseph, per quem regnum Aegyptium eo tempore florentissimum constitutum est, & propagata vera doctrina de **D**Eo in magna Aegypti parte.

P R I-





PRIMVS LIBER  
MOYSI, QUI IN-  
SCRIBITVR

Genesis.

CAPVT I.

Argumentum.

*IN HOC capite Moyses dux chori prophetici nos de tribus maximis rebus docet, de DEO, de creatione mundi, & de humana natura dignitate & excellentia. Quod enim sit Deus, testatur mirandus ordo corporum mundi, quem impossibile est casu extitisse & manere. Qualis autem sit Deus, narratio huius capituli perspicue ostendit. Cum enim omnia condiderit, & quidem non ex priore materia, sed dicendo, declarauit ipsa creatione omnipotentiam. Quod autem sit essentia intelligens, testantur haec verba, Dixit DEVS. Nam dicere est substantiae intelligentis, non brutae. Ipso etiam facto declarauit se beneficium esse, generique hominum amicum, quia in homines sparsit radios suae sapientiae, iustitiae & libertatis. Ceterum quod creatio sit opus*



commune aeterni Patris, Filij & Spiritus sancti, significatum est cum dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Idem dictum describit hominis dignitatem & prestantiam. Nihil enim gloriosius de homine dici aut cogitari potest, quam quod sit imago similis DEO. Complectitur autem imago incorrupta hæc summa bona, sapientiam, iusticiam & libertatem electionis, ut Paulus Ephesios 4. & Coloss. 3. testatur.*

## TEXTVS.

**I**N PRINCIPIO

I.

creauit DEVS  
cælum & terram.

Tota hæc mundi  
machina non semper  
fuit, nec casu

& temere extitit, sed a DEO vna cum tempore  
creata est. Significat autem creare ex nihilo  
aliud facere, non ex aliqua precedenti materia.

Terra autem erat inanis & vacua,  
& tenebræ erant super faciem abyssi.  
Et spiritus DOMI-  
NI ferebatur super  
aquas.

Psalmo 33. Verbo  
Domini cæli facti  
sunt, & spiritu

oris eius omnis exercitus eorum.

Dixitq; DEVS,  
Fiat lux, & facta est  
lux. Et vidit DEVS

Psalmo eodem:  
Ipse dixit & facta  
sunt. Psal. 148. Ipse  
lucem

lucem quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem, factumq; est vespere & mane dies vnus.

Dixitq; DEVS, II.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit DEVS firmamentum, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant superiores firmamento. Et factum est ita, vocauitque DEVS firmamentum cælum, & factum est vespere & mane dies secundus. quàm omnis ingenii humani

capacitas.   
 Augustinus enarrans hunc locum: Quomodo & quales ibi aquæ sint incertum est, esse tamen nõ dubitamus, quia maior est huius scripturæ autoritas,

Dixit vero Deus, III.

Congregentur aque quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida, Et factum est ita, & vocauit DEVS aridam, terram, cõgregationesq; aquarum appellauit maria.

Ecclesiastes cap. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum vnde manant flumina, reuertuntur, vt inde rursus effluant. Alii interpretantur hæc verba, In locum vnum, distributine,   
 B 2 vt sit

vt sit sensus, Singulæ aquæ suum locum obtineant.

Et vidit DEVS,  
quod esset bonum,  
& ait, Germinet  
terra herbam viren-  
tem, & facientem

Bonum est quid-  
dam ordinatum a  
mente diuina, &  
conueniens naturæ,  
seu iuuans natu-  
ram.

femen, & lignum pomiferum faciens  
fructum iuxta genus suum, cuius semen  
in semetipso sit super terram. Et fa-

ctum est ita, Et pro-  
tulit terra herbam  
virentem, & facien-  
tem semen iuxta ge-  
nus suum, lignumq;  
faciens fructum &  
continens semen sui

Nulla plantula,  
quanquam spreta,  
temere nascitur,  
Nulla non ad certos  
& magnos vsus di-  
uino consilio ordi-  
nata est.

generis, Et vidit DEVS, quod esset bo-  
num, factumq; est vespere & mane di-  
es tertius.

Dixit autem DE-  
VS, Fiant luminaria  
in firmamento cœli,  
& diuidant diem &  
noctem, & sint in si-  
gna, stata tempora,  
dies & annos, vt lu-  
ceant in firmamen-

#### IIII.

Corpora cœlestia  
propter tres causas  
condita sunt, qua-  
rum prima est vt lu-  
ce sua mundum il-  
lustrent vniuersum,  
& dierum ac nocti-  
um gratissimas &  
naturæ necessarias  
to cœli,

to cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitq; D E V S duo luminaria magna, luminare maius, vt præffet diei, & luminare minus vt præffet nocti, & stellas, & posuit eas D E V S in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præffent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras, Et vidit D E V S quod esset bonum, Et factum est vespere & mane dies quartus.

Dixit etiam D E V S, Producant aque reptile animæ viuentis, & volatile volans super terram sub firmamento cœli, Creauitq; D E V S cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, quam reptare fecerunt aquæ iuxta genus suum, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit D E V S, quod esset bonum, benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq; multiplicen-

vices efficiant. Altera est, vt distinguant diurna, mensura & annua spacia. Tertia, vt sint signa non modo tempestatum, sed etiam aliarum rerum maximarum. Nam Eclipses & magnæ conjunctiones planetarum semper denunciant generi humano insignes mutationes.

tur super terram. Et factum est vespre & mane dies quintus.

Dixit quoq; D E -

V I.

v s, Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.

Et si in tota natura ordo testimonium est, non extitisse mundum casu: tamen hoc indicium illustre est, quod perpetuo manent eadem species, & quod in qualibet specie propagantur similia, nec sit specierum confusio, quod fieret, si casu & temere sine opificis consilio omnia orirentur.

Factumq; est ita, Et fecit D E V S bestias terræ iuxta species suas, & iumenta iuxta species suas, & omne reptile terræ in genere suo, Et vidit D E V S, quod esset bonum.

Et dixit D E V S, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā, & dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.

Et creauit D E V S

Hæc narratio nō solum ingentem gloriam humanæ naturæ, qualis condita est, prædicat, sed etiam ostendit amorem Dei singularem erga genus humanū. Nihil enim gloriosius in creatura cogitari, aut esse potest, quam quod sit imago Dei, referens illa quæ sunt in Deo homi-



hominem ad imaginem suam. Ad imaginē DEI creauit illum, masculum & foeminam creauit eos. Benedixitq; illis DEVS, & dixit ad eos DEVS, Crescite & multiplicamini & replete terram, & subijcite eā, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque DEVS, Ecce dedi vobis omnem her-

bam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis semen sui generis, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucris cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.

pulcherrima, sapientiam, iusticiam, & libertatem voluntatis in Deo. Deinde cum ideo condiderit hanc naturam, vt in ea luceret conditoris agnitio & imago, & transfuderit in homines dona, quæ sunt in ipsa mente diuina pulcherrima, non dubium est, quin valde hoc opus dilexerit, quod sic ornauit, & domicilium ac templum esse voluit, in quo habitaret & agnosceretur, & ipse illustribus testimoniis sese ostenderet, & cui æterna bona communicaret.

Victus hominum & bestiarum ante diluuium.

Et factum est ita.

Et vidit DEVS  
cuncta quæ fecerat,  
& erant valde bona.  
Et factum est vespere  
& mane dies sextus.

Epiphonema de  
tota rerum natura.  
Approbat enim Deus  
opus suum, quod  
ita condidit, vt congruat  
ad ordinem in  
mente diuina, & destinatum  
sit ad bonos

vsus necessarios hominum generi, & animantibus ac naturis cæteris propter hominem. Nec vero otiose posita est particula, Valde, quæ etsi ad omnes creaturas pertinet: tamen maxime describit humanæ naturæ præstantiam, quæ erat valde bona, id est, valde placens Deo, valde dilecta a Deo, prædita donis longe superantibus præsentibus vires, valde ordinata, perfecte obediens Deo. Admonet igitur hæc particula, ex quanta dignitate excussi sumus.

## CAPVT II.

Argumentum.

*PRIMVS locus huius capituli est doctrina de Sabbato, quæ in enarratione tertij præcepti copiose explicatur. SECVNDVS locus est luculenta narratio de creatione hominis, quæ restatur non modo corpus nostrum singulari arte & consilio Dei formatum esse, sed etiam animæ naturam tale spiraculum esse, in quod Deus transfudit suæ lucis, vt ita dicam, radios,*

radios, & rectitudinem voluntatis & liberam electionem. TERTIVS locus est descriptio Paradisi, in quo Deus Ecclesiam & coniugium instituit. QVARTVS locus est mandatum de certo opere, quod esset testimonium obedientia erga conditorem. P O S T R E M V S locus est vera & erudita definitio coniugij tradita in dicto, Erunt duo in carnem unam.

## T E X T V S.

**E**T perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum. Consummavitq; D E V S in die septimo opus suum, quod fecerat, & quievit in die septimo ab omni opere suo quod fecerat.

Ideo dicitur quievit Deus, quia nullam novam speciem in natura condit, & facit mentionem ces-

sationis Deus, ut clare testetur se non aliam speciem abiecto homine conditurum esse, sed hominem esse extremum & summum opus, quo delectetur, & in quo acquiescere velit. Ac significatur ingens dignitas hominis, & amor Dei erga hominem, in hoc ipso testimonio, quod Deus pronunciat hunc esse extremum opus, ad quod fuerit directa totius opificis deliberatio & appetitio. Hoc opus voluit sibi Deus quiddam esse, quo ipse proprie delectaretur, & in quo perpetuo & sine fine celebraretur.



Et benedixit **D E V S** dici septimo,  
& sanctificauit eum,  
quod in eo quieuis-  
set ab omni opere  
suo, quod creauit  
**D E V S** vt faceret.

Sanctum opponi-  
tur prophano, & si-  
gnificat id, quod est  
proprie dicatum vti-  
bus Dei.

Istæ sunt generationes cœlorum &  
terræ cum crearentur, in die cum face-  
ret **D O M I N V S** Deus terram & cœ-  
los, antequam oriretur vllum virgul-  
tum in terra, aut vlla herba in agro  
germinaret. Non enim pluerat **D O-**  
**M I N V S** Deus super terram, neq; erat  
homo qui operaretur terram, sed va-  
por ascendebat è terra, irrigans vni-  
uersam superficiem terræ.

Formauit igitur  
**D O M I N V S** Deus  
hominem de pulue-  
re terræ, & inspira-  
uit in faciem eius  
spiraculum vitæ, &  
factus est homo in  
animam viuentem.

Basiliius Homilia  
ii. de operibus sex  
dierum: Dignatus  
est Dominus pro-  
pria manu effingere  
nostrū corpus. Ne-  
que enim angelis  
hunc laborem man-  
dauit, neque terra  
sua sponte velut ci-  
cadas nos effudit,  
sed propria manu, quæ non artificiosa solum,  
sed plane artifex est, terram sumit. Quare si  
ad id quod sumit respicias, quid est homo?  
Sin autem cogitatione te conuerteris ad eum  
qui sin-

sed propria manu, quæ non artificiosa solum,  
sed plane artifex est, terram sumit. Quare si  
ad id quod sumit respicias, quid est homo?  
Sin autem cogitatione te conuerteris ad eum

qui sin-

qui finxit , magnum quiddam est homo. Itaque & nihil est propter materiam , & magnus est propter honorem.

Et plantauit **D O M I N V S** Deus hortum in Eden versus Orientem , in quo posuit hominem , quem formarat. Produxerat enim **D O M I N V S** Deus de humo omne lignum pulchrum visu & suaue ad vescendum. Lignum etiam vitæ in medio horti, & lignum scientiæ boni & mali.

Augustinus : Arbor scientiæ boni & mali sic nominata est a futuro euentu.

Quia postquam circa pomum errauit Adam , non solum vidit & expertus est , quanta bona amisisset , sed etiam quantam miseriam sibi acersiuisset.

Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandum hortum , qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Pison. Ipse est qui circumit omnem terram Heuila , vbi nascitur aurum , & aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur Bdelium & lapis Onychinus.

Pison. Ganges. Heuila. India .

Bdelium est quiddam cognatum myrrha .

Nomen secundi fluuij Gihon . Ipse

Gihon. Nilus. est qui

est, qui circumit omnem terram Aethiopiae. Nomen fluminis tertij Hidekel. Hidekel. Tigris. Ipse vadit ad Orientalem plagam Assyriae. Quartus autem fluuius ipse est Phrath.

Phrath. Euphrates, de quo Cicero in 2. de N. D. inquit: Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros inuehit.

Tulit ergo **DOMINVS** Deus hominem, & posuit eum in hortum Eden, vt operaretur & custodiret eum. Praecipitq; **DOMINVS** Deus ipsi Adam dicens, Ex omni ligno horti comedes, de ligno autem scientie boni & mali ne comedas. Quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

Certum opus, quod esset testimonium obedientiae erga Deum conditorum.

Dixit quoq; **DOMINVS** Deus, Non est bonum hominem solum esse, faciam ei adiutorium, quod coram eo sit.

Dicere hoc loco significat miranda sapientia sancire, & nobis hoc decretum tradere.

Vxor est viri adiutorium, id est, cognata, similis viro, socia generationis, & opitulatrix in multis vitae officiis & periculis.

Cum

de carne mea. Hæc & vnâ fœminam  
 vocabitur virago, vult alligatam esse  
 quoniam de viro ad vnum marem.  
 sumta est. Propterea Postremo vult etiam  
 relinquet vir patrem coniunctionem illâ  
 suam & matrem maris & fœminæ  
 suam, & adhærebit perpetuam & indif-  
 vxori suæ, eruntque solubilem esse, cum  
 in carnem vnâ, ait, Erunt in car-  
 fuerunt autem am- nem vnâ, id est,  
 bo nudi vir & vxor inseparabiliter iun-  
 eius, & non erube- cti. Vnitas enim si-  
 scebant. gnificat vinculum  
 perpetuæ cõiunctio-  
 nis & prohibet di-  
 uortia.

## CAPVT III.

## Argumentum.

*Hoc capvt in tota scriptura velut  
 gemma insignis eminet. Continet enim nar-  
 rationem extra conspectum humanæ rationis  
 positam de lapsu primorum parentum, qui est  
 causa peccati, mortis, tyrannidis Diaboli &  
 omnium calamitatum, in quarum deplora-  
 tione omnium sapientum eloquentia in Eccle-  
 sia & apud Ethnicos consumta est. Deinde  
 proponit doctrinam de restitutione Ecclesie &  
 pœnæ mitigatione. Nam primi parentes re-  
 cipiun-*

Cum autem formasset **D O M I N V S** Deus de humo omnem bestiam agri, & omne volatile cœli, adduxit ea ad Adam vt videret, quomodo ea appellaret. Omne enim quod vocauit Adam in anima viuente, id est nomen eius.

Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli & omnes bestias

Cic. 1. Tusc. Summa sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imponere nomina.

terræ. Adæ vero non inueniebatur adiutorium, quod coram eo esset.

Immisit ergo **D O M I N V S** Deus soporem in Adam, cumque obdormiisset, tulit vnam de costis eius, & clausit locum carne. Et ædificauit **D O M I N V S** Deus costam, quam sumferat de Adamo in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc tandem est os ex ossibus meis, & caro

Hic locus sancit leges de coniugio & prohibitionem vagarum libidinum, & veram, integram & eruditam definitionem coniugii proponit. Cum enim præcipit iungi marem & foeminam, prohibet alias commixtiones cum hoc ordine naturæ pugnantes. Deinde cum ait, Duo, prohibet vagas libidines. Vnum marem vult alligatum esse ad vnam foeminam, de carne



cipiuntur per misericordiam propter semen promissum. Imponuntur & pœne, videlicet mors & alie calamitates huius vitæ, quia Deus etsi remittit culpam, & aufert mortem eternam: tamen propter iusticiam aliquas pœnas imponit, & ut ipsius iusticia & ira aduersus peccata conspiciantur, totum genus humanum horribilibus miserijs in hac vita onerat. In his pœnis tamen promittitur Ecclésiæ consolatio, ut tunc Deus ipse vestit primos parentes pelle detracta ab ouicula, qua imagine significatum est fore, ut nouis corporibus vestiamur, & quidem sumtis ab agno Christo. Hanc totam historiam prodest sepiissime cogitare, ut inde discamus tunc inchoatum esse ministerium Euangely, in quo semper vna vox sonat arguens peccata & offerens remissionem peccatorum propter filium.

## T E X T V S.

**S**erpens vero erat  
callidior cunctis  
animantibus terræ,  
quæ fecerat **DOMI-**  
**NVS** Deus, Qui di-  
xit ad mulierem, An  
præcepit vobis De-

2. Cor. 11. Timco  
ne sicut serpens E-  
uam decepit callidi-  
tate sua, ita corrumpantur sensus vestri  
& excidant a simplici-  
tate quæ est in  
Christo.

us, vt

us, vt non comederetis ex omni ligno horti. Cui respondit mulier, de fructu lignorum quæ sunt in horto vescimur, De fructu vero ligni, quod est in medio horti, præcepit nobis DEVS, ne comederemus, neq; tangeremus illud, ne forte moriamur. Et dixit serpens ad mulierem, Nequaquam moriemini, Sed scit Deus, quod ea die, qua ex hac arbore comedetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.

Vidit itaq; mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum aspectu & desiderabile ad prudentiam comparandam, tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo & comedit.

Apocalypseos .12.  
Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem. Quam autem hostili animo sit Diabolus erga genus humanum, & quomodo prælietur, in paradiso declarauit. Avertit enim Euam a verbo Dei, ad proprias & splendidas cogitationes, Non moriemini, sed eritis sicut dii, &c.

Cyprianus in sermone de Oratione Dominica: Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est. Ambrosius lib. 1. de vocatione gentium cap. 3. Nemo fidat suis viribus, quæ cum erant

erant integræ non steterunt, sed per illum quærat victoriam, qui solus non est victus & in omnibus vicit. Bernardus in sermone primo de annunciatione: Si stare non potuit humana natura adhuc integræ, quanto minus poterit per seipsam resurgere iam corrupta.

\* In hoc lapsu multa sunt delicta. Primum est dubitatio de verbo Dei. **II.** Amissio fidei. Non enim credunt Deo minitanti pœnam, sed fascinati speciosa promissione Diaboli, desinunt metuere pœnam, & ardent illa cupiditate maioris gloriæ, Eritis sicut dii. **III.** est Curiositas, qua discedunt a verbo Dei, & quærunt aliam sapientiam. **IIII.** Superbia, qua volunt sese magnificare. **V.** Contemptus Dei, cum violant mandatum contra conscientiam. **VI.** Quod antefecerunt Diabolum Deo. **VII.** Ingratitudo, qua expellunt Spiritum sanctum in ipsis habitantem, & aspernantur æternam copulationem cum Deo. **VIII.** Homicidium sui & totius posteritatis, & quod hic lapsus est prima ianua omnium scelerum & miseriarum posteritatis. Tantus aceruus ingentium delictorum fuit in hoc lapsu, de quo propter multas causas diligentissime cogitandum est.

Tum aperiebantur oculi amborum, cumq; cognouissent se esse nudos, confecerunt † folia fici, & fecerunt sibi perizomata.

Nuditas significat spoliationem & vulnerationem naturæ humanæ post lapsum. Nam primi parentes spoliati sunt, id est, facti sunt rei, & auulsi a

Deo deserunt esse domicilium Dei, amiserunt lucem noticiæ Dei,

C

quæ



quæ antea in eis fulserat, verbo in ipsis habitante, & amiserunt dilectionem Dei, & congruentiam voluntatis & cordis cum Deo, quæ regebatur Spiritu sancto, amiserunt & vitam. Deinde sunt vulnerati, quia in mente iam sunt tristissimæ dubitationes de Deo, in voluntate & corde contumacia contra legem Dei, & fremitus contra Deum coniuncti cum horrendis doloribus & morte.

† Folium fici, quo se tegunt primi parentes est imago disciplinæ: Vt enim illud folium non aufert peccatum & mortem a primis parentibus, sed tantum foris tegit motus inordinatos membrorum: sic disciplina non meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio legis.

Et cum audissent vocem DOMINI Dei deambulantis in horto ad auram diei, abscondit se Adam & vxor eius à facie DOMINI Dei inter arbores horti, Vocauitq; DOMINVS Deus Adam & dixit ei, Vbi es?

Natura non regenerata aut secuta contemnit iudicium Dei, aut perterrefa. Ita fugit & odit Deum.

Qui ait, Vocem tuam audiui in horto & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Et dixit, (DOMINVS) Quis indicauit tibi, quod nudus esses? An non ex

Non dubium est accusante Deo & sonante ipso tristissimam accusationem, horribiliter expauescere humanam naturam.

non ex

non ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Et respondit Adam, Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit DOMINVS Deus ad mulierem, Quare fecisti hoc? Quæ respondit, Serpens decepit me & comedi,

Et ait DOMINVS Deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus tu inter omnia animantia & bestias terræ, Super pectus tuum gradieris, & pulverem comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

INIMICITIAS  
PONAM inter te &  
mulierem, & semen  
tuum & semen illi-  
us, Et ipsum conte-  
ret caput tuum, Et  
tu conteres calcane-  
um eius.

Prima promissio  
de Christo & eius  
regno. Describitur  
autem initio pœna  
peccati, scilicet  
quod propter pec-  
catū Diabolus cru-  
deli tyrannide ve-  
xaturus sit genus hu-  
manum, sicut tota

mundi historia testis est de furore Diaboli grafsantis sophistica & manifesta vi in genere humano. Deinde additur brevis descriptio regni Christi. Affirmat enim Deus semen mulieris, id est, venturum liberatorem natum ex muliere, potentiam Diaboli repressurum esse, & sumpturum pœnas de Diabolo. Nam conterere caput non significat tantum certamen cum Diabolo, sed significat eversionem potentie Diabolicæ, ut 1. Ioannis 3. scribitur, Apparuit filius Dei, ut destruat

destruat opera Diaboli, Econtra Diabolus lædet calcaneum Christi & Ecclesiæ, hoc est, atrociter quidem vulnerabit Christum & Ecclesiam, Sed tamen promissio Dei nos consolatur, Audimus non caput, sed plantam pedis fauciari. Manet ergo victor Christus, & sanat hæc nostra vulnera, cum ad eum confugimus iuxta illud, 1. Cor. 15. Deo sit gloria danti nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Cum autem hoc semen mulieris sit contritum caput serpentis, hoc est, aboliturum peccatum & mortem, & restitutum amissam iusticiam & vitam æternam, necesse est hunc venturum liberatorem esse verum Deum. Nam peccatum & mortem abolere, & iusticiam ac vitam æternam reddere, non sunt hominis, ac ne angelicæ quidem naturæ opera, sed solius diuinitatis conditricis omnium rerum, vt Ioannis 1. de filio Dei λόγος scribitur, In ipso vita erat. Quanquam autem hæc beneficia sunt actiones diuinæ naturæ: tamen fiunt a λόγος in natura assumpta, & sunt iam actiones communes personæ, quæ est Christus Iesus.

Ad mulierem vero dixit, Valde multiplicabo dolorem tuum, cum eris grauida, In dolore paries filios, & in viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.

Ad Adam vero dixit, Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi dicens, Non comedes ex eo, Maledicta terra propter te, In dolore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos

bulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesce-  
ris pane tuo, donec reuertaris in ter-  
ram, de qua sumtus  
es, Quia puluis es, &

Siracides cap. 10.  
Quid superbit terra  
& cinis ?

& in puluerem re-  
uerteris. Et vocauit  
Adam nomen vxoris suæ Heua, quod  
ipsa esset mater omnis viuentis.

Fecit quoq; D O-  
M I N V S Deus ipsi  
Adam & vxori eius

Vestis est signum  
reatus.

tunicas pelliceas, & induit eos.

Et dixit D O M I N V S Deus, Ecce il-  
le homo fuit, sicut  
vnus ex nobis, vt  
sciret bonum & ma-

Mysterium Tri-  
nitatis.

lum. Et nunc, ne forte mittat manum  
suam, & accipiat etiam de arbore vitæ,  
& comedat, & viuat in seculum. Et  
emisit eum D O M I-  
N V S Deus de hor-  
to Eden ad colen-

Exilium primorū  
parentum & totius  
posteritatis.

dam terram, de qua sumtus erat, & ex-  
pulit hominem, & collocauit à plaga  
Orientali horti Eden Cherubim, &  
flammam gladij versatilis ad custodi-  
endum iter arboris vitæ.

## CAPVT IIII.

## Argumentum.

LONGE superat omnem humanam eloquentiam historia primorum parentum. Sed nos consideremus in hoc capite testimonia mirabilium operum Dei, hoc est, & afflictionum ac erumnarum, & liberationum Ecclesie. Quanto in luctu & mœrore versati sunt Adam & Heua! cum accepta promissione de Christo, & concepta certa spe propagande Ecclesie, natis duobus filiis Cain & Abel, subito vident sibi amplissimas spes præcidi, necato altero filio, qui futurus erat velut plantarium vere Ecclesie, cum alter filius parricida præclaras illas spes, quas de ipso pijs parentes conceperant frustratus esset. Qui cum essent his mœroribus totum primæ ætatis centenarium confecti, cum nulla iam esset Ecclesie facies, nec posset vsquam propagari doctrina cœlestis, quia posteritas Cain paternam impietatem sectabatur, & videretur iam prorsus concidisse Ecclesia, tamen à Deo restituitur & seruetur, dato filio Seth, per quem colligitur aliquis cœtus, in quo sonat vox cœlestis de futuro semine, & hinc propagatur Ecclesia patrum vsq; ad diluuium.

TEX-



## T E X T V S.

**E**T cognouit Adam Heuam vxorem suam, quæ concipiens peperit Cain. Ac dixit (*Heua*) Acquisiui virum

Generatio primæ sobolis.

**DOMINI.** Et adiciens peperit fratrem eius Habel, fuitque Habel pastor ouium, Cain autem agricola.

Fallitur augurio spes bona sæpe suo. Nam Cain non tantum erat semen mulieris, sed etiam viri.

Et factum est à fine dierum, & adduxit Cain de fructu

A fine dierum, id est, post aliquot annos.

terræ oblationem **DOMINO.** Sed & Habel quoque adduxit de primitiis ouium suarum & de adipe illarum. Et respexit **DOMINVS**

ad Habel & ad oblationem eius, Ad Cain autem & ad oblationem eius non respexit. Quapropter iratus est Cain valde, & conciderunt vultus eius.

Ebræos II. Fide vberiore hostiam Abel obtulit Deo, quam Cain, per quam testimonium meruit quod esset iustus testificante de donariis illius Deo.

Et dixit **DOMINVS** ad Cain, Quare sic incensus es tu, & quare conciderunt vultus tui? Nonne

si bonus fueris, eris  
acceptus. Sin autem  
malus, peccatū tu-  
um cubabit donec  
reueletur, sub te sit  
seruitus eius, & tu  
domineris ei.

Concio legis, quæ  
primum docet, ita  
placere externos cul-  
tus, si cor sit iustum.  
Deinde peccantibus  
pœnas minatur, &  
monet de mora, ne  
securitas confirme-  
tur, quia pœnæ dif-  
feruntur. Ac significat futurum iudicium post  
hanc vitam, & mira est descriptio. Totius mun-  
di prophana securitas vno verbo significata est.  
Peccatum quiescet seu cubabit donec reueletur.  
Peccatum Iudæ cubabat donec sentiebat pœ-  
nam. Postremo sequitur præceptum, quod sig-  
nificat manere in hominibus virtuosas appetitio-  
nes, sed repugnandum esse, & Deo hanc obedi-  
entiam placere, cum in agnitione ipsius repugna-  
mus peccatis. Econtra abiici a Deo illos, qui si-  
nunt dominari peccatum.

Et locutus est Ca-  
in cum Abel fratre  
suo. Et factū est cum  
ambo essent in agro,  
insurrexit Cain contra fratrem suum  
Habel & occidit eum. Et dixit D O M I-  
NVS ad Cain, Vbi est Habel frater tu-  
us? Qui respondit,  
Non noui, Num e-  
nim custos fratris  
mei sum ego! Et di-  
xit, Quid fecisti?

Psal. 28. Loquun-  
tur pacem cum pro-  
ximo suo, mala au-  
tem in cordibus eo-  
rum.

Habenda est ratio  
non nostri solū, sed  
etiam aliorum. Hoc  
enim genus officio-  
rum excellit, quod

Vox



Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

tenetur hominū societate.

Trucidato homine contra legē Dei,

supereſt anima deſiderans ſociam maſſam, & vindictam ordine iuſtitiæ poſcens.

Et nunc maledi-

Pœna Cain.

ctus es tu de terra, quæ aperuit os ſuum ad ſuſcipiendum ſanguinem fratris tui de manu tua. Si colueris terram, non amplius dabit tibi vim ſuam, Vagus & profugus eris in terra. Et dixit

Cain ad D O M I N V M, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt remittatur.

Auguſtinus: Mentiris Cain, Maior eſt enim Dei miſericordia, quam omnium peccatorum miſeria.

Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra. Et erit, Omnis qui me inuenerit, occidet me. Et dixit ad eum D O M I N V S, Imo quicumq; occiderit Cain ſeptuplum punietur. Et poſuit

D O M I N V S in Cain ſignum ne quis inueniens eum percuteret.

Signum, id eſt, ſubitam conſternationem coram aliis hominibus, ortam ex magnis pauoribus

conſcientiæ, qui ſunt iudicium & pœna ſic ordinata a Deo in toto genere humano. Nam ſce-

leratos homines agitant insectanturque furie non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientie, fraudisque cruciatu, Cic. 1. de Legibus.

Et egressus est Cain à facie DOMINI, & habitauit in terra Nod, ab Oriente Eden. Et cognouit Cain vxorem suam, quæ concepit & peperit Heno-  
 ch, extruensq; ciuitatem, vocauit nomen illius ciuitatis iuxta nomen filij sui Heno-  
 ch. Porro ipsi Heno- ch natus est Irad. Irad genuit MeHuiaël, MeHuiaël genuit Methuschaël, Methuschaël vero genuit Lamech, Et accepit sibi Lamech duas vxores, nomen vnus est Ada, & alterius nomen Zilla. Genuitq; Ada Iabal, qui fuit pater habitantium in tentorijs & pastoru. Nomen vero fratris eius Iubal. Ipse fuit pater \* canentiũ cithara & organis. Zilla quoq; genuit Tubal Cain, qui fuit faber in omni arti-

Posteritas Cain.

Certissimum est, legem coniugii primam in paradiso ita sancitam esse, vt tantum vnus maris & vnus foeminae coniunctio esset. Sed Lamech primus discessit ab hoc ordine, & fuit autor mali exempli, quod postea multi imitati sunt. Sed filius Dei nos ad primam institutionem retrahit Matth. 19.

\*Artu inuentio.  
 ficio

ficio æris & ferri, Soror vero Tubal Cain Naama. Dixitq; Lamech vxoribus suis, Adæ & Zillæ, Audite vocem meam vxores Lamech, Audite sermonem meum. Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentem in liuorem meum. Si septuplum vindicabitur Cain, certe Lamech septuagies septies.

Cognouit quoq; adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth dicens, Posuit mihi **D E V S** semen aliud pro Habel quem occidit Cain. Deinceps ipsi Seth quoque natus est filius, & vocauit nomen eius Enos. Tum cæptum est inuocari nomen **D O M I N I**.

Posteritas veræ  
Ecclesiæ.

## C A P V T V.

Argumentum.

*T R I A sunt in hoc capite, que piam mentem delectare possunt. PRIMVM est series patrum & annorum ab Adam usq; ad diluuium. Nam seriem patrum notam esse oportet propter genealogiam Christi, que recitatur Luca 3. Certa autem supputatio*  
anno-

annorum à condito mundo vsq; ad Christum est proprium Ecclesie κειμήλιον. ALTE-  
 RV M est imago sapientissime & modestissi-  
 me scholæ. Cogita enim quale collegium fue-  
 rit Adæ cum aliquot posteris, aut Nohe  
 cum sex patribus inde vsq; ab Enos filio Seth.  
 OMNIV M vero maxime nos erudit &  
 confirmat testimonium de vita æterna pro-  
 positum in translatione Henoch, de qua E-  
 braeos II. scribitur, Fide Henoch translatus  
 est, ne videret mortem, &c.

## T E X T V S.

**H**IC est liber generationum Adam.  
 In die quo creavit Deus homi-  
 nem, ad similitudinem DEI fecit eum.  
 Masculum & foemina creavit eos, &  
 benedixit illis, vocavitq; nomen eo-  
 rum Adam in die creationis illorum.  
 Et vixit Adam triginta & centum an-  
 nis, genuitq; in si-  
 militudine sua, iuxta  
 imaginem suam, &  
 vocavit nomen illi-  
 us Seth. Et facti  
 sunt dies Adam post  
 quam genuit Seth octingenti anni, ge-  
 nuitq;

Qualis fuit in pri-  
 mis parentibus na-  
 tura orbata origi-  
 nali iusticia, tales  
 postea procreauc-  
 runt.

nuitq; filios & filias, Et fuerunt cuncti dies Adam quoad vixit, nongenti anni & triginta anni, & mortuus est.

Vixit quoq; Seth centum quinque annis & genuit Enos, vixitque Seth postquam genuit Enos octingentis septem annis, genuitq; filios & filias, Et fuerunt omnes dies Seth nongenti & duodecim anni, & mortuus est.

Vixit vero Enos nonaginta annis & genuit Kenan, Et vixit Enos postquam genuit Kenan octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt cuncti dies Enos nongenti & quinque anni, & mortuus est.

Vixit quoq; Kenan septuaginta annis & genuit Mahalaleël. Et vixit Kenan postquam genuit Mahalaleël, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. Et fuerunt omnes dies Kenan nongenti decem anni, & mortuus est.

Vixit autem Mahalaleël sexaginta quinque annis, & genuit Jared. Et vixit Mahalaleël postquam genuit Jared octingentis triginta annis, genuitq; filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mahalaleël octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.

Vixit



Vixit autem Jared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Jared postquam genuit Henoch octingentis annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est.

Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Methusalah. Ambulauit autem Henoch cum DEO postquam genuit Methusalah trecentis annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia \* tulit eum DEVS.

\* Ebraeos II. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia translulit illum Deus. Ante translationem enim testimonio ornatus est quod placuerit Deo. Sine fide autem impossibile est Deo placere.

Vixit quoque Methusalah centum septuaginta octo annis, & genuit Lamech. Et vixit Methusalah postquam genuit Lamech septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias, & fuerant omnes dies Methusalah nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est.

Vixit



Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium, vocauitque nomen eius Noah, dicens, Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit DOMINVS.

Noah vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Ham, & Iapheth.

## C A P V T V I.

Argumentum.

*IN HOC capite primum omnium considerentur cause diluuij, quarum PRIMAE est contemptus ministerij Euangelici. ALTERA est confusio vagarum libidinum. TERTIA est tyrannica gubernatio. DEINDE obseruetur testimonium de peccato Originis, quod congruit cum dicto Ieremia, Prauum est cor humanum in omnibus, & miserum & inscrutabile. POSTREMO cogitetur descriptio Nohe, cui Deus ipse tribuit laudem iusticie, integritatis & obedientie. Cogita autem quanta lux fidei in mente Nohe fulserit, Credidit enim Deo non solum predicenti vniuersalem deletionem generis humani & animantium, sed etiam promittenti*  
confer-

conseruationem familie ipsius in pœna, qua nulla tristior cogitari potest, & precipienti de fabricatione arce. Hanc fidem laudat Epistola ad Ebraeos cap. 11. Fide, inquit, Noë, cum oraculo admonitus esset, ea que nondum videbantur veritus, apparauit arcam ad salutem domus sue, per quam arcam condemnauit mundum, & eius que secundum fidem est, iusticie factus est heres.

## TEXTVS.

**C**VM autem cepissent homines multiplicari super terram, & filias sibi procreassent, videntes filij Dei filias hominum, quod pulchræ essent, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque **DOMINVS**, Non iudicabit spiritus meus in homine perpetuo, quia caro est. Erit eis adhuc tempus centum viginti anni.

Erant autem gi-

Filii Dei, id est, filii patriarcharum, qui volebant videri ciues & membra veræ Ecclesiæ.

Filiæ hominum, id est, natæ ex posteritate Cain.

Hoc est, habebunt centum viginti annos, ad agendam pœnitentiam, Hieronymus.

gantes

gantes super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuissent, isti sunt potentes coram mundo, viri clari & celebres. Videns autem D O M I N U S, quod multa malitia hominum esset in terra, & omne figmentum cogitationum cordis eius, tantum esset malum omni tempore, pœnituit eum quod fecisset hominem in terra. Et doluit in corde. Et dixit D O M I N U S, Delebo hominem, quem creavi, de facie terræ, ab homine vsq; ad animalia & reptilia, & volucres cœli, quia pœnitet me quod fecerim eos.

Noha vero inuenit gratiam coram D O M I N O. Hæ sunt generationes Noha. Noha vir iustus & inculpatus fuit & cum D E O ambulauit suo seculo, & genuit tres filios, Sem, Ham & Iapheth. Et corrupta est terra coram Deo, & repleta iniurijs. Et vidit D E V S terram, & ecce corrupta fu-

Noha doctrina, pietate, virtute, sapientia omnibus hominibus suæ ætatis antecelluit, & munere docendi diligenter functus est. Id enim significat phrasis, ambulare cum Deo, quæ supra etiam de Henoch usurpata est,

D it. Nam

it. Nam omnis caro corruerat viam suam super terram.

Et dixit DEVS ad Noha, Finis vniuersæ carnis venit coram me. Nam repleta est terra iniurijs coram eis. Et

Prædictio diluuii & seruatio familiæ Nohæ, & prouidentix & doctrinæ testimonia fuerunt, quam senex Noha profitebatur.

ecce ego perdam eos cum ipsa terra. Fac tibi arcam de lignis pineis, mansiunculas in arca facies, & bitumine oblines eam intrinsecus & extrinsecus. Et hoc modo facies eam, Trecentorum cubitorum erit longitudo arçæ, quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius.

Allegoria huius proportionis extat apud Augustinũ lib. 15. de C. Dei. cap. 26. & lib 12. contra Faustum Manichæũ.

Fenestram facies in arca, & ad cubitum consummabis eam superne. Fores vero arçæ pones in latere eius, cum interstitijs inferioribus, medijs, & tertijs facies eam. Et ecce ego, ego adducam diluuium aquarum super terram, vt perdam vniuersam carnem, in qua est spiritus vitæ sub cœlo, & omne quod est in terra peribit. Et constituam fœdus

duo

duſ meum tecum,  
venieſq; in arcam tu  
& filij tui, vxor tua  
& vxores filiorum  
tuorum tecum.

Ex omni quoque  
animante, & ex om-  
ni carne bina de ſin-  
gulis duces in ar-  
cam, vt viuant te-  
cum, maſculum &  
fœmellam, de volu-  
cribus iuxta genus  
ſuum, & de iumentis  
iuxta genus ſuum,  
& ex omni reptili  
terræ iuxta genus

ſuum. Bina de omnibus ingredientur  
tecum, vt conſerues ea. Et tu ſume te-  
cum ex omni cibo, qui comeditur, &  
repone eum, vt ſit tibi & illis in eſcam.

Fecit igitur Noha  
omnia, quæ præce-

perat illi D E V S. gregationem animantium, & ad collectionem  
cibi.

Fœdus intelliga-  
tur non tantum de  
conſeruatione Ec-  
cleſiæ in diluuiio,  
ſed etiam de pro-  
miſſione venturi li-  
beratoris. Cum  
enim initio genera-  
liter dictum eſſet de  
ſemine mulieris,  
poſtea reſtrictio ad  
certam ſtirpem fa-  
cta eſt, videlicet ad  
poſteritatem Nohæ,  
Abrahæ & Daudis,  
vt certum eſſet in  
qua gente, quo lo-  
co, quo tempore,  
Deus hunc media-  
torem exhibiturus  
eſſet.

Omnia, ſc. perti-  
nentia ad fabrica-  
tionem arcæ, ad con-

## C A P V T V I I.



## Argumentum.

*HISTORIA* huius capituli sepe meditan-  
da est, ut cogitemus de ingenti ira Dei ad-  
uersus peccatum. Nam excepta passione  
Christi nullum signum ira Dei tristius est,  
quam vniuersale diluuium, in quo non tan-  
tum homines, sed etiam bestie miserabiliter  
perierunt. Etsi enim omnes pœna nos com-  
monefaciunt de magnitudine peccati & ira  
Dei: tamen hoc testimonium cateris illustrius  
est, cum non ad paucos homines, sed ad to-  
tum genus humanum pertineat. Deinde con-  
spicitur magnitudo misericordie Dei in con-  
seruatione reliquiarum Ecclesie. Etsi enim  
arca Nohe destituta est remis & velis: ta-  
men filius Dei sedet ad gubernaculum, & il-  
los suos Argonautas protegit.

## TEXTVS.

**D**ixitq; **DOMINVS** ad Nohe, In-  
gredere tu & omnis domus tua in  
arcam. Te enim vidi iustum coram me  
in generatione hac. Ex omnibus ani-  
mantibus mundis tol-  
le septena, mascu-  
lum & foeminam.  
De animantibus ve-

Discrimen anima-  
lium mundorum &  
immundorum anti-  
quissimum est.

ro im-



ro immundis bina, masculum & foemina. Sed & de volatilibus caeli septena, masculum & foeminam, vt saluetur semen super faciem vniuersae terrae. Nam post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terrae.

Fecit igitur Noha omnia quae mandauerat ei DOMINVS, Eratq; Noha sexcentorum annorum, quando diluuij aquae inundauerunt super terram. Et ingrediebatur Noha & filij eius, vxor & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij. De animalibus quoq; mundis & immundis, & de volucris, & ex omni quod mouetur super terram, bina ingrediebantur in arcam ad Noha, masculus & foemina, sicut praeeperat DOMINVS Noha, cumq; transissent septem dies, aquae diluuij inundauerunt super terram.

Anno sexcentesimo vitae Noha mense secundo, septimo χρονολογία obseruatione dignissima. decimo die mensis, Ingressus est Noha in arcam mense secundo, die septimo decimo. rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, & fenestrae caeli a-

pertæ sunt, Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

In articulo diei illius ingressus est Noha, & Sem, & Ham, & Iapheth, filij eius, vxor illius & vxores filiorum eius cum eis in arcam. Ipsi & omne animal secundum genus suū, vniuersaq; iumenta in genere suo, & omne quod repit super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum. Vniuersæ aues, omneq; volatile ingressa sunt ad Noha in arcam, bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ, masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei DEVS.

Et clausit post eū  
 DOMINVS de foris. Factumq; est diluuium quadraginta diebus super terram & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Vehementer autem inundauerunt & omnia repleuerunt in superficie terræ. Porro arca ferebatur super terras, & aquæ præualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo.

Quin-

Prouerb. 8. Ludo in orbe terræ, & delictæ meæ versari inter filios hominū.

Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat, Consumtaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram. Vniuersi homines & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et deleuit DEVS omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli, & deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noha, & qui cum eo erant in arca, obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta dies.

## CAPVT VIII.

## Argumentum.

*Hoc caput describit letissimam catastrophem pœnæ plusquam tragica. Noha enim elapso iam anno, cum prorsus exiccata esset terra, egreditur ex arca, & sacrificat σωτήρια, ut Græci loquuntur, & Deus testatur se delectari sacrificio Nohæ, id est, inuocatione, gratiarum actione, laude & doctrina. Tradit etiam Nohæ & posteris eius promissionem.*

*missionem de mansuro nature ordine, quam infra capite nono repetet, & arcu cœlesti quasi quodam sigillo obsignabit.*

## T E X T V S.

**R**ecordatus est autem **D O M I N V S** Noha cuncto-  
rumq; animantium,  
& omnium iumen-  
torum, quæ erant in  
arca cum eo. Et ad-  
duxit **D O M I N V S**

uentum super terram, & quieuerunt  
aquæ, & clausi sunt fontes abyssi & fe-  
nestræ cœli, & prohibitæ sunt pluiiæ  
de cœlo, reuersaq; sunt aquæ de terra,  
euntes & redeuntes, & decreuerunt  
post centum & quinquaginta dies. Re-  
quieuitq; arca mense septimo, decimo  
septimo die mensis,

super montes Ara-  
rat. At vero aquæ  
ibant & decresce-

bant vsque ad decimum mensem. De-  
cimo enim mense prima die mensis ap-  
paruerunt cacumina montium, cumq;  
transil-

Hæc verba signi-  
ficant summam ar-  
tem piorum esse,  
credere inuisibilia,  
sperare dilata, ama-  
re Deum ostenden-  
tem se tanquam ho-  
stem & inimicum,  
& sic in finem vsque  
perseuerare.

Montes Ararat  
sunt montes Gordei  
in Armenia.

transissent quadraginta dies, aperiens Noha fenestram arcæ quam fecerat, dimisit coruum, qui egrediebatur & reuertebatur donec sic carentur aquæ super terram. Emisit quoque columbam post eum, vt videret, si non cessassent aquæ super faciem terræ, quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuerfa est ad eum in arcam. Aquæ enim erant super faciem vniuersæ terræ, extenditq; manum suam, & apprehensam intulit in arcam. Expectans autem vltra septem diebus alijs, rursus emisit columbam ex arca. At illa venit ad eum vesperi, portans folium oleæ decerptum in ore suo. Intellexit ergo Noha, quod cessassent aquæ super terram, expectauitq; nihilominus septem alios dies & emisit columbam, quæ non est reuerfa. Itaque sexcentesimo primo anno vitæ Noha primo mense, prima die mensis, desiccata sunt aquæ super terram. Et aperiens Noha tectum arcæ, aspexit viditque quod exiccata esset

Coruus aspernatur doctrinam Ecclesiæ. Columba non deserit arcam, id est, Ecclesiam. Hæc allegoria tractatur ab Augustino concione 6. in Ioannem.



superficies terræ, Mense secundo & die mensis vigesima septima arefacta est terra.

Locutus est autem **DOMINVS** ad Noha dicens, Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum, cuncta animantia quæ apud te sunt ex omni carne, tam in volatilibus, quàm in bestijs, & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum & ingredimini super terram.

Crescite & multiplicamini super eam. Egredus est ergo Noha & filij eius cum eo. Sed & omnia animantia & reptilia, quæ reptant super terram, & volatilia, & egressa sunt de arca singula

Ingressus est Noha in arcam mense secundo, die septimo decimo. Egreditur autem ex arca rursus mense secundo, die vicesimo septimo. Interea igitur exacti sunt menses duodecim, & accedunt dies decem, cumque vndecimo die ex arca egressus sit Noha, crudite adduntur mensibus duodecim lunaribus dies vndecim, qui vocantur Epactæ. Ex his perspicuum est Noha mansisse in arca integrum annum solarem.

Vult Deus & fidem & opera gubernari ea norma, quam tradidit sua voce, iuxta dictum, Lucerna pedibus meis verbum tuum.

iuxta



iuxta familias suas. Aedificauit autem  
 Noha altare DOMINO, & tollens de  
 cunctis pecoribus & volucris mundis,  
 obtulit holocausta super altare.  
 Et odoratus est Do

MINVS odorē sua-  
 uitatis.

Metaphora est in  
 verbo odorandi sum-  
 ta à ritu veteri.

Quia sacrificia dicebatur Deus odorari, cum  
 diuinitus incenderentur. Id erat singulare testi-  
 monium, quod placerent & accepta essent.

Et dixit DOMINVS in corde suo,  
 Nequaquam vltra maledicam terrā  
 propter hominem,  
 quoniam figmentū  
 cordis humani ma-

Testimonium de  
 peccato Originis.

lum est ab adolescentia sua. Non igitur  
 vltra percutiam omnem animam vi-  
 uentem, sicut feci. Cunctis diebus ter-  
 ræ sementis & messis, frigus & æstus,  
 æstas & hyems, nox & dies non cessa-  
 bunt.

## C A P V T I X.

Argumentum.

*QVOD DEVS sit beneficus generis  
 hominum amicus, narratio huius capituli cui-  
 dentissime ostendit. PRIMVM enim ap-  
 pro-*

probat coniugium, quod seruit propagationi generis humani. Deinde restituit generi humano dominium, idq, noua accessione auget. Concedit enim homini esum carniuum, qui ante diluuium prohibitus fuerat. Munit etiam vitam hominum prohibitione homicidij, & sancit politicum ordinem tanquam custodem pacis & discipline in genere humano. His omnibus velut appendicem addit promissionem de mansuro nature ordine, & hanc illustri signo proposito confirmat & obsignat. Hec omnia testantur Deum amantem esse vitam & salutis hominum, nec velle mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. In fine capituli recitatur historia de infirmitate Noha, que discernenda est à lapsibus contra conscientiam, & vaticinium patris de tribus filijs. Ut enim posteritati Ham maledicitur propter patris peccatum: sic posteris Sem & Iapheth promittuntur premia pro benefactis parentum.

## TEXTVS.

**B**enedixit Deus  
Noha & filijs eius  
& dixit ad eos,  
Crescite & multipli-

Approbatio coniugii, quod est fons  
æconomix & politix,  
& seminarium  
Ecclesix.

camini

camini & replete terram. Et terror ve-

ster ac tremor sit super cuncta anima-

lia terræ, & super Restitutio domini.

omnes volucres cœ-

li, cum vniuersis, quæ mouentur super

terram, omnes pisces maris manui ve-

stræ traditi sint. Et omne quod mo-

uetur & viuit, sit vobis in cibum, quasi

olera virentia tradidi vobis omnia.

Carnem tamen ani- Hanc consuetudi-

maram cum sangui- nem a Noha tradi-

ne suo non come- tam, ne homines

detis. vescerentur sangui-

ne & suffocato, A-

postoli in suo decreto Acto. 15. retinuerunt.

Porro sanguinem Seuerissima pro-

animarum vestrarū hibitio homicidii.

requiram de manu cunctarum bestia-

rum, & de manu hominis, De manu

cuiuslibet requiram animam fratris sui.

Quicumq; enim fu- Testimonium de

derit sanguinem hu- institutione & ap-

manum, illius san- probatione politici

guis effundetur per magistratus. Cum

hominem. enim nominatim di-

cat, Per hominem

funderet sanguis homicidæ, instituit hominem

magistratum, qui certo ordine tollat reum, &

iudicium Dei administret.

Quoniam in ima- Grauiissima ratio

gine

gine Dei fecit ( *DEVS* ) hominem. addita legi, quæ priuatam eadem prohibet, Quia homo

ad imaginem Dei conditus est. Non est igitur occidendus priuata cupiditate, id est, cum conditus sit ad agnitionem Dei, iusticiam & immortalitatem, vt in vita æterna communicetur ei sapientia & bonitas diuina, Vult Deus erga eum exerceri iusticiam, vt sit intellectus iusticiæ in genere humano. Et prohibet eum interfici, quia vult intelligi, voluntatem suam esse, vt conseruetur hæc natura, cui communicaturus est suam sapientiam & bonitatem. Hac igitur ratione discrimen facit inter pecudes, quas mactari concedit, & inter homines.

Vos autem fructificate & multiplicamini, procreate sobolem in terra, & multiplicamini in ea.

Et dixit *DEVS* ad Noha & ad filios eius cum eo. Ecce ego statuo pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & cum omni anima viuente, quæ vobiscum est, tam cum volatilibus, quàm cum iumentis & pecudibus terræ, cunctisque quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestijs terræ. Statuo autem pactum meum vobiscum, vt nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluuij, neque sit deinceps diluuium dissipans terram. Dixitque *DEVS*, hoc est signum fœderis, quod  
do in-

do inter me & vos  
& omnem animam  
viuentem, quæ est  
vobiscum, in gene-  
rationes sempiter-  
nas. Arcum meum  
ponam in nubibus,  
& erit signum fœde-  
ris inter me & inter  
terram, cumq; ob-  
duxero nubib. cœ-  
lum, apparebit ar-  
cus meus in nubi-  
bus, & recordabor  
fœderis mei vobis-  
cum, & cum omni  
anima viuente in om-  
ni carne. Et non  
erunt ultra aquæ di-  
luuij ad delendam  
vniuersam carnem,  
sed erit arcus in nu-  
bibus, & videbo illum, & recordabor  
fœderis sempiterni, quod pactum est  
inter DEVM & omnem animam vi-  
uentem vniuersæ carnis, quæ est su-  
per terram.

Erant autem filij Noha, qui egressi  
sunt

Semper addidit  
promissionibus suis  
Deus externa signa.  
Sic Iris a Deo con-  
dita est tanquam si-  
gnum fœderis, quo  
Deus promisit se  
deinceps non puni-  
turum esse genus  
humanum vniuersa-  
li diluuiio. Sed simul  
significat in extre-  
ma pœna igni con-  
flagraturum esse mun-  
dum, & se ex ea  
massa nouam mundi  
formam facturum  
esse. Ideo colores  
sunt in Iride duo.  
Ceruleus significat  
genus humanum a-  
quis periisse. Igne-  
us seu purpureus  
postea periturum esse  
igni, vt in secunda  
Epistola Petri scri-  
ptum est.



sunt de arca, Sem, Ham & Iaphet. Porro Ham ipse est pater Canaan. Hi sunt filij Noha, à quibus semine prospera est vniuersa terra. Capitiq; Noha vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibensq; vinum inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo. Videns igitur Ham pater Canaan patrem suum nudum, indicauit id duobus fratribus, qui foris erant. At vero Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & auersa ingredienti operuerunt nuditatem patris sui auersa facie, ne viderent nuditatem patris sui. Et euigilauit Noha à vino, & cognouit quæ fecerat ei filius suus minor, Et ait, Maledictus Canaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitque, Benedictus

**D O M I N U S** Deus Sem, & sit Canaan illi in seruum.

Blande loquetur Deus cum Iapheth, & habitabit in tabernaculis Sem, Canaan autem erit seruus horum.

Hac benedictione alligatur promissio de Messia ad posteritatem **S E M**.

Vaticinium de vocatione gentium ad societatem veræ Ecclesiæ, cui **D E V S** blande loquitur voce Euangelii.

Vixit



Vixit autem Noha post diluuium trecentis quinquaginta annis, & fuerunt omnes dies eius nongenti quinquaginta anni, & mortuus est.

## C A P V T X.

Argumentum.

*IN SOLA Ecclesia monstratur propagatio generis humani. Ceteræ gentes ignara vetustatis sinxerunt fabulosas origines, ut Arcades dixerunt se ante Lunam natos esse. Thessali fabulati sunt se ex lapidibus ortos esse. Athenienses gloriabantur se aũrbydovus esse, & falso putabant se antiquiores esse gente Ionica, quæ à filio Iapheth orta est, cui nomen fuit Ion, qui Græcæ gentis stirps est. Non igitur solum incundum est, sed etiam utile scire gentium origines. Series enim testatur, primam doctrinam de Deo esse hanc, quæ in scriptis Moysi & deinceps in prophetarum libris tradita est.*

## T E X T V S.

**H**Æ sunt generationes filiorum Noha, Sem, Ham & Iapheth, natiq;  
E ticiq;

tiq; sunt illis filij post diluuium.

Filij Iapheth, Gomer & Magog, & Madai, & Iauan, & Tubal & Mefech, & Thiras. Porro filij Gomer, Ascanes, Riphath, & Togorma.

Filij autem Iauan, Elifa, Tharsis, Kittim & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium, in regionibus suis, vnusquisq; secundum linguam suam, & familias in nationibus suis.

Filij autem Ham, Chus, Mizraim & Phut & Canaan. Filij autem Chus, Seba, Heuila, & Sabtha, & Rama & Sabtecha. Filij Rama, Scheba & Dedan.

Porro Chus genuit Nimrod, Ipse cæpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram DOMINO. Ideo forma prouerbiali dictu est, Quasi Nimrod robustus venator coram DOMINO.

Nimrod fuit robustus venator, id est, ducens exercitus, vt armis cogeret homines ad legitimam obedientiam. Coram Domino, id est, Deo dante ei robur, victorias & successum in constituendo & retinendo imperio. Non enim retinetur obedientia, nisi Deo iuuat.

iuuante, vt ait Daniel, Deus transfert & stabilit regna.

Fuit autem principium regni eius Initium regnorum in Babylone fuit.  
 Babel, & Erech, & Acad, & Calne in terra Sinear. De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & Rehoboth, Ir & Calah, Resen quoque inter Niniuem & Calah.  
 Hæc est ciuitas magna. Ninive sexaginta annis post Ionæ prædicationem perit.

At vero Mizraïm genuit Ludim, Anamim, Leabim, Naphtuhim, Pathrusim, & Casluhim, de quibus egressi sunt Philistim & Caphthorim.

Canaan autem genuit Zidon primogenitum suum, & Heth. Item Iebusi, Emori, Girgosi, Hiui, Arki, Sini, Aruadi, Zemadi, & Hamathi. Hinc sunt propagatæ familiæ Cananzorum. Fuit autem terminus Canaan, si venias à Sidone per Gerar vsque ad Gazam, & si eas per Sodomam, Gomorram, Adama & Zeboim vsque ad Lasa. Hi sunt filij Ham cum cognationibus & linguis, terris & gentibus suis.

Ipsi Sem quoque Posteritas Sem.  
 E 2 nati

nati sunt filij patri omnium filiorum Eber, fratri Iapheth maioris. Filij Sem, Elam & Assur, Arphachfad & Aram.

Filij Aram, Vz, Hul, Gether & Mas. Porro Arphachfad genuit Selah, & Selah genuit Eber. Eber quoq; nati sunt duo filij, Nomen vnus Peleg. Nam in diebus eius diuisa est terra, & nomen fratris eius Iaketan.

Iakeran autem genuit Almodad, Saleph, Hazarmaueth, Iarah, Hadoram, Vfal, Dikela, Obal, Abimaël, Seba, Ophir, Heuila, & Iobab. Omnes isti filij Iaketan. Fuit autem habitatio eorum si à Mesa pergas ad Sephar montem Orientis.

Hi sunt filij Sem secundum familias suas, & linguas suas, & terras & gentes suas. Hæ itaque sunt familiae filiorum Noha secundum generationes suas in populis suis. Et ab illis diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

## CAPVT XI.

Argumentum.

*Dv.*

DVÆ sunt huius capituli partes. PRIOR recitat historiam de impedita diuinitus ædificatione turris Babylonice, & de confusione linguarum, que est fons omnis discordie in Ecclesia & Republica. ALTERA pars est series patrum à Sem vsq; ad Abraham, quam voluit Deus notam esse, vt sciremus; ex qua stirpe voluerit Deus nasci Messiam, & vbi fuerit expectandus & conspiciendus. Iucundum est etiam in hac serie videre, vbi Ecclesia post diluuium fuerit, & à quibus patribus sit gubernata, & qui patres vnà vixerint.

## T E X T V S.

ERAT vniuersa I.  
 terra vnus labij & eiusdem sermonis. Cum igitur proficiscerentur ad Orientem, inuenerunt planiciem in terra Sinear, ac ibi habitauerunt. Ac dixerunt vnusquisq; ad proximum suum, Age paremus lateres & eos igni coquamus. Ac vsi sunt latere pro lapidibus, & bitumine  
 pro cemento. Bituminis ea vis est, vt lateribus aut exiguis lapidibus interlitum, saxo aut quouis ferro muros solidiores & firmiores faciat.

Et dixerunt, Age ædificemus nobis  
 E 3 ciuita-



ciuitatem & turrin, cuius culmen per-  
tingat vsq; ad cœlum, & faciamus no-  
bis nomen antequã  
dissipemar in vni-  
uersam terram. De-  
scendit autem D O M I N V S vt videret  
ciuitatem & turrin,  
quam ædificabant  
filij hominum.

Sic 1. Mac. 5. qui-  
dam dicunt: Facia-  
mus & ipsi nobis no-  
men. Sed nos cum  
Psalmo dicamus,  
Non nobis Domi-  
ne, non nobis, sed  
nomini tuo da glo-  
riam.

Et dixit D O M I N V S, Ecce popu-  
lus est vnus, & labium vnum est omni-  
bus eis, Cæperuntq; hoc facere, nec  
desistent de cogitationibus suis, donec  
eas opere compleuerint. Age descen-  
damus & confunda-  
mus ibi labium eo-  
rum, ne quisquam  
sermonem proximi sui intelligat. Di-  
spersit itaq; eos D O M I N V S ab illo loco  
in vniuersam terrã,  
& destiterunt extru-  
ere ciuitatem. Et vocatum est ideo  
nomen loci Babel, quia ibi confudit  
D O M I N V S labium vniuersæ terræ, &  
inde dispersit eos D O M I N V S super  
faciem vniuersæ terræ.

Myſterium Trini-  
tatis.

Horribilis pœna,  
quæ est fons omni-  
um diffidorum in  
Ecclesia & Repub.

Hæ

## II.

Hæ sunt genera-  
tiones Sem. Sem  
fuit centum anno-  
rum, & genuit Ar-  
phachfad, biennio  
post diluuium. Vi-  
xitq; Sem postquam  
genuit Arphachfad  
quingētis annis, & genuit filios & filias.

Post diluuiumpat-  
tri Nohæ succedit  
Sem, quo adhuc flo-  
rente vocatur Abra-  
ham. Ac scribunt  
Ebræi Sem fuisse eū  
pontificem, cui no-  
men est Melchise-  
dec.

Arphachfad vero vixit triginta quin-  
que annis, & genuit Salah. Et vixit Ar-  
phachfad postquam genuit Salah tri-  
bus annis & quadringentis, genuitque  
filios & filias.

Porro Salah vixit triginta annis &  
genuit Eber, vixitq; Salah postquam  
genuit Eber tribus & quadringentis  
annis, & genuit filios & filias.

Vixit autem Eber triginta quatuor  
annis & genuit Pe-  
leg. Vixitq; Eber  
postquam genuit Pe-  
leg triginta & quadringentis annis, &  
genuit filios & filias.

Ab hoc Eber po-  
steri Abrahæ dicti  
sunt Ebræi.

Vixitque Peleg triginta annis & ge-  
nuit Reu. Et vixit Peleg postquam ge-  
nuit Reu nouem & ducentis annis, &  
genuit filios & filias.

Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Serug, Vixitque Reu postquam genuit Serug septem & ducentis annis, & genuit filios & filias.

Vixit vero Serug triginta annis & genuit Nahor, Vixitque Serug postquam genuit Nahor ducentis annis, & genuit filios atq; filias.

Vixit autem Nahor viginti nouem annis, & genuit Tharah, Vixitque Nahor postquam genuit Tharah decem & nouem atq; centum annis, & genuit filios atq; filias.

Vixit Tharah septuaginta annis & genuit Abram, Nahor & Haran.

## CAPVT XII.

### Argumentum.

*DISSIPATIS posteris Nohe, cum vnus Sem & eius familia retineret possessionem doctrine, Deus vocat Abraham, ac vt repetitio promissionis de Messia insigni monumento propagaretur ad posteros, noua & mira ceremonia instituitur, de qua Gen. 17. dicetur. Promittitur etiam Abrahae certa sedes Ecclesiae, vt sciretur ex qua familia &*  
quo

quo loco expectandus esset Christus. Hæc specialis promissio non est omnium temporum, nec ad alias gentes pertinet, sed Abrahæ posteris tradita est, & constitutum est tempus, quod durare sedes illa deberet. Nam post destructionem politie Mosaice, non est una Ecclesie sedes in politia certa, sed passim inter gentes Ecclesia colligitur. Semper autem promissiones corporales intelligantur cum exceptione castigationis & crucis, ut Abraham ex Sichem migrat in Bethel, & inde propter famem proficiscitur in Egyptum, & subinde nouis difficultatibus exercetur.

## T E X T V S.

**I**stæ sunt generationes Tarah. Tarah genuit Abram, Nahor & Haran.

Haran vero genuit

Lot. Et mortuus est

Haran apud Tarah

patrem suum, in ter-

ra, in qua natus est,

in VR Chaldæorū.

Acceperunt autem

Abram & Nahor

vxores, nomen vxo-

ris Abram, Sarai, &

Haran mortuus est ante discessum patris ex Chaldæa.

Et si VR loci nomen est: tamen significat cultum idolorū Chaldæ, quia ex igne diuinitus accenso seruabantur lychni, qui appellantur in historiis, VR,

nomen vxoris Nahor, Milca, filia Haran, patris Milca & Iifca. Fuit autem Saraï sterilis, nec erat illi proles.

Et tulit Tarah Abram filium suum & Lot filium Haran, filium filij sui & Saraï

nurum suam vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldaeorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsq; CHARAN,

& habitauerunt ibi.

\* Fuerunt autem dies Tarah quinque anni & ducenti anni, mortuusque est Tarah in CHARAN.

stri ab initio, Thare pater Abraham & Nahor, seruiertque diis alienis.

\* In omnibus historiis alius est ordo sermonis, alius temporis vel rei geste. Hanc regulam tradit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana: Dicuntur quaedam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quæ prætermiffa fuerant, latenter narratio reuocetur. Huius regulæ insigne exemplum est in historia Thare. Cum enim

Orimasda, *isra*, Vesta, id est, Ignis sacer. Cum autem nihil habeat rationem sacramenti extra vsum institutum, facile æstimari potest qualis fuerit hæc idolatria. Non enim dissimilis fuit circumgestationi panis in pompa pontificia.

CHARAN seu CHARRAE VRBS Mesopotamiæ insignis clade Crassi & Romanorum.

Iosue 24. Trans fluium, hoc est, in Mesopotamia habitauerunt patres vestri

Moses



Moses vellet finire narrationem de Thare, sic dicit, Thare vixit annos quinque & ducentos, & mortuus est. Nihil vero eorum commemorat, quæ ante obitum ipsius gesta fuerant. Postea igitur reuertitur ad illa, & recitat ea quæ acciderunt illis ducentis & quinque annis, antequam moreretur Thare, nimirum Abram filium cum haberet annos septuaginta quinque egressum esse ex Charan patre adhuc superstite. Alioqui intercidunt sexaginta anni, quibus antequam Abram verum tempus migrationis necesse esset.

Et dixit **DOMINUS** ad Abram, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui ad terram quam ostendam tibi. Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & faciam tibi magnum nomen. Et eris in benedictionem. Benedicam quoque benedicientibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam.

scenus, vt narrat Eusebius libro nono præparationis Euangelicæ.

Vocatio Abrahæ exemplum misericordie Dei. Reuocatur enim ab errore & idolatria ad veram Dei agnitionem & inuocationem.

Promissio amplissima bonorum corporalium.

Abrahæ non soli sacri meminerunt scriptores, sed ex prophanis plerique, velut Hecateus, qui librum de Abrahamo scripsit, & Alexander polyhistor, & Nicolaus Damascenus, vt narrat Eusebius libro nono præparationis

Et be-

Et benedicentur  
in te omnes familiae  
terrae.

Abijt itaque A-  
bram, sicut locutus  
erat ad eum **DOMI-  
NVS.**

rus erat in hereditatem, & egressus est nesciens  
quo veniret. Fide quoque incola fuit in terra  
promissa tanquam aliena.

Abijt quoque Lot cum eo. Erat autem  
Abram annorum se-  
ptuaginta & quinque,

*χρονολογία.*

cum egrederetur de Charan. Et tulit  
Abram Saraï uxorem suam, & Lot fili-  
um fratris sui, & omnem substantiam  
illorum, quam possederunt, & animas  
quas fecerunt in Charan. Egressique  
sunt, ut venirent in terram Chanaan,  
& peruenerunt in terram Chanaan.  
Pertransiit autem Abram terram usque  
ad locum Sichem, &  
usque ad planiciem  
More. Erat autem  
tum Chananaeus in  
terra.

Sichem primum  
Abraham domicilio,  
postquam venit in  
terram Chanaan,  
fuit in regione, quae  
postea tribui Ephra-  
im attributa est ad montem celebratum Gari-  
zim, nec procul inde post multa secula condita  
est Samaria.

Et

Et apparuit DOMINUS Abrahæ & dixit, Semini tuo dabo terram hanc.

Dominus apparet Abrahæ in Sichem, & repetit promissionem de certa sede Ecclesiæ.

Et ædificauit ibi altare DOMINO, vbi apparuerat ei.

Et mouens inde in montem, qui erat ab Oriente respectu Bethel, extendit tabernaculum suum, ita vt esset Bethel ab Occidente, & Hai ab Oriente. Et ædificauit ibi altare DOMINO, & vocauit in nomine DOMINI. Abraham autem migrans inde profectus est, & profectus est meridiem versus.

Bethel antea Luzza nuncupata est, id est, Amygdala. Ibi Iacob vidit Dominum in scala stantem, vt Gen. 28. narratur. Noua igitur appellatione locus notatus est, & dictus Bethel, id est, domus Dei, vt memoria propagaretur huius admirandæ paterfactionis diuinæ. Eodem loco Iero-boam vitulum aureum collocauit, vt videretur sequi exemplum patrum, qui ibi Deum adorassent. Hai significat aceruum, & fuit e regione Bethel.

Erat autem fames in illa terra, Descendit igitur Abraham in Aegyptum vt peregrinaretur ibi. Nam fames ma-

Exul erat Christus, comites nos exulis huius  
Esse decet, cuius  
gna

gna erat in terra. nos quoque membra  
Et factum est cum sumus.

appropinquasset, vt intraret in Aegy-  
ptum, dixit ad Sarai vxorem suam, En  
scio, quod tu sis mulier pulchro aspe-  
ctu. Fiet itaq; cum videbunt te Aegy-  
ptij, vt dicant, Hæc huius vxor est, in-  
terficient igitur me, te autem in vita  
conseruabunt. Dic

obsecro quod sis so- Occultatio offi-  
ror mea, vt bene sit ciola.

mihi propter te, & ego viuam tuo be-  
neficio. Factum itaq; est, cum venisset  
Abram in Aegyptum, vt viderent Aeg-  
yptij mulierem. Nam erat valde pul-  
chra. Videruntq; eam principes Pha-  
raonis, & laudauerunt eam apud Pha-  
raonem, & transtulerunt mulierem in  
domum Pharaonis. Et is quidem bene-  
fecit Abræ propter illam. Fuerunt  
enim ei oues & boues, & asini & serui,  
& ancillæ & asinæ & cameli.

Et percussit Do-  
MINVS Pharaonem  
plagis magnis pro-  
pter Sarai vxorem  
Abræ. Vocauit igi-  
tur Pharao Abram & dixit,

Psal. 105. Non  
permisit hominem  
nocere eis, & corri-  
puit propter eos re-  
ges.

& dixit, Cur hoc  
fecisti

fecisti mihi? Quare non indicasti mihi,  
quod vxor tua est? Quare dixisti, so-  
ror mea est, & accepi eam mihi in  
vxorem. Nunc igitur ecce vxor tua,  
Tolle eam & vade.

Et præcepit Pharao  
de eo viris, qui di-  
miserunt eum atque  
vxorem eius, & om-  
nia quæ habuit.

Lata Catastro-  
phe tentationum,  
quæ fidem Abrahæ  
exercuerunt. Fide-  
lis est enim Deus,  
id est, verax & be-  
neficus, & dat cum

tentatione exitum, vt possimus vincere.

## CAPVT XIII.

### Argumentum.

*ABRAHAM* ex *Egypto* post lon-  
ginquam peregrinationem reuersus, nouum  
hospitium querit, relicta *Bethel*, & migrat in  
*Hebron*, que distabat quinq; miliaribus *Ger-*  
*manicis* à *Ierosolyma*, fuitq; postea ipsi *A-*  
*brabe*, *Isaac* & *Iacob* sepultura locus. Ut  
autem supra *Moyse* laudauit fidem, spem  
& tolerantiam *Abrahæ* obtemperantis vo-  
cationi diuinae, nec eam deserentis propter  
varias difficultates peregrinationum: ita  
nunc ad imitandum nobis proponit expressam  
imaginem equitatis, qua non habet necesse  
omnia



omnia pro suo iure agere. Cedit enim Abraham Lot, & hac moderatione concordiam Ecclesie conseruat. Postea describitur colloquium Dei cum Abraham, in quo repetitur promissio de certa sede Ecclesie.

## T E X T V S.

**A**scendit itaq; Abram de Aegypto, ipse & vxor eius, & omnia quæ erant illius, & Lot cum eo ad Austrum. Erat autem Abram valde diues, pecoris & argenti & auri. Et pergens migrare venit à meridie vsq; ad Bethel, vsq; ad locum vbi fuerat tabernaculum eius à principio, inter Bethel & inter Hai, ad locum altaris, quod ibi fecerat à principio, & inuocauit ibi Abram in nomine DOMINI.

Opulentia Abrahamæ.

Pil sunt viatores mox ituri in vitam æternam.

Inuocare nomen Domini est petere bona a Deo. Inuocare in nomine Domini est fungi munere docendi, & profiteri ac propagare doctrinam a Deo traditam. Sunt autem connexa iuxta dictum Rom. 10. Quomodo inuocabunt nisi credant, Quomodo credent nisi audierint, quomodo audient nemine prædicante?

Sed &

Sed & Lot qui erat cum Abram habebat greges ouium, & armenta & tabernacula, nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul. Erat enim substantia eorum multa, nec poterant vnà habitare, vnde orta est rixa inter pastores gregum Abræ & Lot. Et habitabat eo tempore in terra illa Cananæus & Pherisæus.

Dixit ergo Abram ad Lot, Ne quæso fit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. Nonne vniuersa terra coram te est? Quæso separe te à me. Si tu ad sinistram, ego ad dextram, & si tu ad dextram, ego ad sinistram ibo.

Cedunt inter se orbis cœlestes miris anfractibus, vt hoc velut obsequio harmoniam cōseruent. Cedamus igitur nos quoque alter alteri in iis rebus, quæ nec religionem, nec statum Reipub. labefactant. Nulla enim victoria, nulli triumphi sunt magis digni laudè, quam in talibus certaminibus anteferre publicam concordiam priuato affectui.

Et leuauit Lot oculos suos, viditque omnem planiciem Iordanis, quod tota esset irrigua, antequam subuerteret D O M I N V S Sodomam & Gomorram, sicut paradisus

disus DOMINI, sicut terra Aegypti, si venias in Zoar.

Elegit autem sibi Lot omnem planiciem Iordanis, profectusque est Lot ab Oriente, & separatus est vnus ab altero. Abram habitauit in terra Chanaan, & Lot habitauit in ciuitatibus planicie, & tabernaculum fixit vsq; ad Sodomam. Et viri Sodomæ erant mali, & peccatores coram DOMINO valde.

otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuata sunt & fecerunt abominationes coram me, &c.

Dixitq; DOMINVS ad Abram postquam separatus est Lot ab eo, Leua nunc oculos tuos, & vide à loco vbi es ad Aquilonem & meridiem, ad orientem & occasum. Nā omnem terrā, quam tu vides, eam tibi dabo & semini tuo vsq; in seculum. Et

Regio quinque vicinarum vrbiū propter fecunditatem & amœnitatem paradiso Dei conferatur.

Ezechiel 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia &

Repetitio promissionis de certâ sede Ecclesiæ.

Abraham habuit ius ad rem. Posterâ ipsius introducti in terram Canaan habuerunt ius in re.

ponam

ponam semen tuum quasi pulverem terræ. Si homo poterit numerare pulverem terræ, numerabitur quoque semen tuum. Surge perambula terram secundum longitudinem & latitudinem eius, quoniam tibi eam dabo. Et tabernaculum fixit Abram, & venit & habitavit in conuallibus Mamre, quæ sunt in Hebron, & ædificauit ibi altare **D O M I N O**.

Vallis Mamre sic nuncupata est a viro Amorreo, qui fœdus fecerat cum Abraham, vt Gen. 14. dicitur.

## C A P V T X I I I I .

Argumentum.

*Cum Abraham redisset ex prælio confecto itinere aliquot dierum à Damasco vsq; ad Ierusalem, Melchisedeck redeuntem excepit, & pavit ipsum & eius exercitum. In hanc sententiam textus inquit, protulisse eum panem & vinum. Eodem vero tempore Melchisedeck ibi benedixit Abrahæ, & utraq; significata est Ecclesia eius temporis societas. Communicatio epularum & hospitij fuit signum amicitie. Sed benedictio fuit proprium testimonium consensus de Deo. Quia enim*

agnoscit Abraham hunc virum sacerdotem esse veri Dei, expetit eius concionem & precatorem. Vicissim hic sacerdos pronunciat Abrahæ benedictionem, & simul agit gratias vero Deo de victoria, quæ proderat eius loci Ecclesiæ, & ibi docet & confirmat multos in exercitu. Hoc moniti exemplo, discamus Ecclesias debere consociationem querere, & tueri consensum doctrine communi inuocatione, communi confessione, mutua beneuolentia & officijs, & ut in precatore Christi dicitur, debere vnum esse in Deo, non querere occasiones dilacerationum.

## TEXTVS.

**E**T factum est in diebus Amraphel regis Sinear, Arioch regis Elasar, KedorLaomer regis Elam, & Tidal regis gentium. Et commiserunt hi prælium cum Bera rege Sodomæ & cū Birsã rege Gomoræ, cum Sinea rege Adama, & Senneber

Amraphel rex Babylonis: Arioch Assyriæ: Kedorlaomer Persiæ: Tidal Ciliciæ.

Sodoma, consiliuorum.

Gomorra, Manipulus spicarum.

Adama, Terra rufa.

Zeboim, Amærege



rege Zeboim, & re- na regio.  
 ge Bela, hæc est Zo- Zoar, paruula.  
 ar. Omnes isti coniuncti sunt in valle  
 Siddim, vbi est mare Salis. Duodecim  
 enim annis seruiant Kedarlaomer, &  
 tertio decimo anno rebellauerunt.  
 Quarto decimo vero anno venit Ke-  
 darlaomer, atque reges qui cum eo  
 erant, & percusse- Rephaim, Medici.  
 runt Rephaim in Zuzim, Robusti.  
 Aferoth Karnaim, Emim, Reuerendi.  
 atq; Zuzim in Ham,  
 & Emim in planicie  
 Kiriataim, & Horæ-  
 um in montanis Seir vsq; ad planiciem  
 Pharan, quæ est iuxta desertum.

Et reuerfi venerunt ad fontem Mis-  
 path, quæ est Cades, & percusserunt  
 omnem regionem Amaleck, & Amor-  
 ræum habitantem Thamar alio no-  
 mine appellatur En-  
 geddi, vbi sunt hor-  
 ti balsami.  
 in Hazazon Tha-  
 mar. Et egressus est  
 rex Sodomæ & rex  
 Gomorræ, atq; rex Adama, & rex Ze-  
 boim, & rex Bela, quæ est Zoar, & inie-  
 runt cum eis bellum in valle Siddim,  
 scilicet cum Kedarlaomer rege Elam,  
 & Tideal rege gentium, & Amraphel  
 rege

rege Sinear, atq; Arioch rege Ellaffar, quatuor reges cum quinque. Porro vallis Siddim erat plena fontibus bituminis, & fugerunt rex Sodomæ atq; Gomorræ, & ceciderunt ibi, & qui remanserant fugerunt in montem, & accipientes omnem substantiam Sodomæ atq; Gomorræ, & omne alimentum illorum abierunt.

Abduxerunt quoq; Lot & substantiam eius, filium fratris Abram, & recesserunt. Habebat enim ille in Sodomæ, & venit quidam qui euaserat, & indicauit Abræ Ebræo, qui habitabat in contuallibus Mamre Amorræi fratris Escol & fratris Aner, qui fœdus habebant cum Abram. Audiens vero Abram, quod captus esset frater suus, expediuit exercitatos adolescentes suos filios domus suæ trecentos decem & octo, & insecutus est illos vsque ad Dan. Et diuisus est super eos nocte, ipse & serui eius, & persecutus est eos vsq; ad

Exemplum fortitudinis & dilectionis. Pellit enim Abraham ingentem hostium exercitum exigua manu, & ostendit fortitudinem & dilectionem erga cognatum sanguinem diuinos motus esse.

Hoba,

Hoba, quæ Damasco à sinistra est. Et recuperavit omnem substantiam, Sed & Lot fratrem suum, & familiam illius reduxit, & mulieres atq; populum.

Damascus distat a Ierosolyma Germanicis miliaribus quadraginta duob.

Egressus est autem rex Sodomæ in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Kedarlaomer, & regum qui cum eo erant in vallem planam, quæ est vallis regis. Et Melchisedec rex Salem protulit panem & vinum, & hic erat sacerdos DEI altissimi.

Melchisedec filius Nohæ Sém.

Salem dicitur a Iosepho esse oppidum, quod postea Ierusalem nominatum est. Vides igitur

in vicinis locis habitasse Abraham, Lot & Melchitedec. Iam cogita quale collegium fuerit, in quo Sem & Abraham præfuerunt, qui erant testes patetactionum diuinarum, summis ornati donis a Deo.

Et benedixit ei & dixit, \* Benedictus Abram Deo excelso possessori cæli & terræ. Benedictus DEVS excelsus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas.

Hunc locum citat & illustrat epistola ad Ebræos cap. 7.

\* Benedictus Abram, id est, Deus vere tibi propitius est, tu viuum membrum es Ecclesiæ Dei, te regit & protegit

tegit Deus, tu es iustus & hæres vitæ æternæ.  
Hac voce confirmatur fides in Abraham.

Et dedit ei decimas de omnibus. Et dixit rex Sodomæ

Dedit, sc. Abraham, teste Epistola ad Ebræos.

ad Abram. Da mihi animas, & substantiam ipsam tu tolle, Et respondit Abram regi Sodomæ,

Leuaui manum meam ad DOMINUM Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, si à filo vsq; ad corrigiam

Moderatio Abrahæ in victoria, quæ natura insolens & superba est.

calceamenti & ex omnibus tuis aliquid accepero, Ne scilicet dicas, ego ditauit Abram, exceptis tantum his, quæ comederunt pueri, & portione virorum illorum, qui mecum iuerunt, Aner, Escol & Mamre. Isti accipiant suam partem.

## CAPVT XV.

Argumentum.

*IN HOC capite duo loci potissimum considerentur, quorum prior est promissio defensionis, felicitatis & premiorum confirmans animos contra metum in periculis & contra multas*

multas sollicitudines. *Angeris de defensione, Affirmat Deus se fore protectorem Ecclesie. Angeris an simus aliquid profecturi, Affirmat profecturos esse. Angeris de compensatione laborum & erumnarum, Pollicetur mercedem magnam valde. Cum igitur omnibus terroribus hac promissio opponat consolationes dulcissimas & firmissimas, sepe eam consideremus, ut nos in his periculis, que coniuncta sunt cum Euangely professione, confirmet.* *ALTER locus est insignis sententia, Credidit Abraham Deo, & imputata est ei iusticia, quam Paulus ideo citat, ut perpetuum Ecclesie consensum de fide ostendat. Hanc concionem profert, que prima expresse loquitur de fide & de iusticia, & affirmat fide accipiendam esse promissionem, & cum hac fide acquiescit homo in Mediatore, vere imputari iusticiam, videlicet dari remissionem peccatorum, & reconciliari hominem propter Mediatorem, & hunc ipsum Mediatorem in eo efficacem esse, & voce promissionis & Spiritu suo sancto accendere nouam lucem & obedientiam, & in corde pacem efficere, que est initium vite eterne. Hec doctrina propria Ecclesie Dei, que est portus & summa consolatio piorum, & expresse in hoc ipso libro, et deinceps in scriptis prophetiis & apostolicis tradita & illustrata est.* F 5 T E-



## TEXTVS.

**P**ost hæc facta fuit verbum **DOMINI** ad Abraham in visione dicens :  
 Ne timeas Abram ,  
 Ego sum protectio  
 tua , & merces tua  
 copiosa valde.

Vagatur Ecclesia  
 inter Diabolos &  
 inter impia imperia  
 in mundo, sicut exi-  
 guus grex ouium in-  
 ter multa luporum agmina, nec defensorem ha-  
 bet certum nisi filium Dei . Necessaria est igitur hæc consolatio Ecclesie , quæ promittit do-  
 ctoribus & discipulis defensionem , successus in  
 vocatione , & præmia laborum & ærumnarum .

Et dixit Abram, **DOMINE, DOMI-  
 NE**, quid dabis mihi, cum ego incedam  
 sine liberis, & filius dispensans domum  
 meam, sit ille Damascenus Elieëser?  
 Et dixit Abram, En mihi non dedisti  
 semen, & ecce filius domus meæ hæres  
 meus est. Et ecce verbum **DOMINI**  
 ad eum factum est dicens, Non erit il-  
 le hæres tuus, sed qui egredietur de ute-  
 ro tuo, ille hæres tuus erit. Et eduxit  
 eum foras & ait, Age intuere cælum,  
 & numera stellas si  
 poteris eas numera-  
 re, & dixit illi, sic  
 erit semen tuum.

Supra cap. 13. in  
 fine, cum Deus ver-  
 ba faceret de semine  
 corporali seu car-  
 nali

nali vsus est similitudine à puluere terræ sumta.  
Nunc vitur comparatione rerum cælestium, vt  
significet se loqui de semine cœlesti & spirituali.

Et CREDIDIT Testimonium de  
DOMINO, & impu- articulo Iustificatio  
tata est ei iusticia. nis enarratū a Pau-  
lo Rom. 4. & Gal. 3.

Et dixit ad eum,  
Ego DOMINVS qui eduxi te de Vr  
Chaldæorum, vt darem tibi terram  
istam & possideres eam. Et dixit, DOMINE Deus, vnde scire possum, quod  
possessurus sim eam? Respondit ei,  
Sume mihi vitulam triennem, & ca-  
pram triennem, atque arietem trien-  
nem, turturem quoq; & pullum colum-  
bæ. Accepit igitur  
omnia ad se, & di-  
uisit ea per medium,  
posuitq; vnumquod

Ritus faciendorū  
fœderum antiquis-  
simus.

que membrum è regione comparis sui,  
aues autem non diuisit, & cum volati-  
lia descendissent super illa cadauera,  
abegit ea Abram. Cumque sol occum-  
beret irruit sopor  
super Abram, & ec-  
ce horror tenebro-  
sus & magnus irruit  
super eum. Et dixit

Vicissitudo pa-  
uorum & consolati-  
onum, quæ de-  
scribitur Psal. 30.

ad A-

ad Abram, Certo scias quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & seruient eis, & ibi affligent eos quadringentis annis. Verum gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & postea egredientur cum magna substantia, & tu \* vades ad patres tuos in pace, sepelierisque in canicie bona. Generatione autē quarta reuertentur huc, quia nondū est completa iniquitas Amorræi vsq; nunc.

ad vitam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem.

Et factum est vt occideret Sol, & factæ sunt tenebræ, & ecce furnus fumans & lampas ignis pertransiens inter diuisiones illas. In die illa percussit DOMINVS foedus cum Abram dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio

Hæc supputatio inchoanda est ab eo anno, quo Abram est ex Vr Chaldæorum vocatus. Inde vsque ad eductionem populi ex Aegypto sunt anni 430. vt scribitur Exodi 12. & Gal. 3.

\* Dulcis descriptio mortis piorū, quæ est beata migratio de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte

Inflammatiō vī  
ctimarum diuinitus  
facta.

Aegy-

Aegypti, vsq; ad fluuium magnū, fluuium Phrath, Cinæum & Kenisæum atq; Cadmonæum, Hittheum, & Pherisæum, & Rephaim, & Amorreum, & Chananæum, Gorgaseum atq; Iebusæū.

## C A P V T X V I.

Argumentum.

*ET SI magna fuit virtus patrum Abrahæ, Iacob & aliorum: tamen cum iam plus confusionum esset in moribus, essent crebra diuortia, & unus plures coniuges duceret, in illa vitiosa consuetudine etiam sancti patres normam veterem languidius custodierunt. Vt enim fluminum impetus secum abripiunt nauigantes: sic errores temporum trahunt homines vt minus improbent presentia. Quare nos verbo Dei regamus vitam & mores, non quibuslibet exemplis, cum hominum natura in hac imbecillitate nunquam sit sine vitijs, & singula secula misceant aliquid contagij humane nature.*

## T E X T V S.

**A**T Sarai vxor Abram non peperit ei. Habuit autem ancillam Aegyptiam

ptiam nomine Hagar, Dixitq; Saraï ad  
Abram: Ecce prohibuit me D O M I-  
NVS ne parerem. Age ingredi ad  
ancillam meam Hagar, si forte ædificer  
ex ea. Et obediuit Abram voci Saraï,  
tulitq; Saraï vxor Abram Hagar Ae-  
gyptiam ancillã su-  
am, à fine decem an-

ἡθρολογία.

norum, quo habitauit Abram in terra  
Canaan, & dedit eam Abram marito  
suo in vxorem, cumq; ingressus esset ad  
Hagar, concepit &  
videns quod graui-  
da esset, despecta est  
domina eius in ocu-  
lis suis.

Parua fortuna in-  
flat hominem, &  
parua fortuna deit-  
cit hominem.

Et dixit Saraï ad Abram, Iniuriã  
mea super te est, Ego dedi ancillam me-  
am in sinum tuum, quæ cum videat  
quod conceperit, vilipendor ego in o-  
culis eius. Iudicet D O M I N V S inter  
me & inter te. Dixit autem Abram ad  
Saraï, Ecce ancilla  
tua in manu tua.  
Fac illi quod bonum  
est in oculis tuis. Et cum humiliaret  
eam Saraï, fugit illa à facie eius.

Imago patrisfa-  
miliæ qui maxime  
est φιλόσοφος.

Inuenit autem eam angelus D O M I-  
NI IUX-



NI iuxta fontem aquæ, in solitudine, iuxta fontem, qui est in via Sur, dixitque Hagar ancillæ Sarai, vnde venisti & quo vadis? Respondit illa, à facie Sarai dominæ meæ ego fugio, dixitque ad eam angelus DOMINI, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius. Rursumque dixit ad eam angelus DOMINI, Valde multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudinem. Dixitque ad eam, Ecce tu prægnans es, & paries filium, & vocabis nomen eius Ismaël. Audiuit enim DOMINVS afflictionem tuam. Is erit homo syluestris. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & in facie omnium fratrum suorum habitabit. Et inuocauit nomen DOMINI loquentis cum ea, Tu DEVS vides me. Dixit enim, Nonne

Tertullianus in libro de Trinitate: Veritas nos concludit in istam sententiam, vt intelligamus Dei filium fuisse, qui quoniam ex Deo est merito Deus, quia filius Dei dictus est, quoniam annunciator patris voluntatis est, magni consilii angelus, pronuntiatus est.

Afflictiones nobis profunt, quia aut probant nos, aut humiliant, aut emen  
hic

hic vidi posteriora videntis me? Iccirco vocatus est puteus ille, puteus viuentis & videntis me, Et hic est inter Cades & Bared.

Peperit autem Hagar ipsi Abram filium, vocauitq; Abram nomen filij sui, quem peperit ei Hagar Ismaël. Porro Abram erat octoginta & sex annorum, cum Hagar pareret Ismaëlem.

dant, aut gloriam Dei illustrant. Sic Agar castigata fit modestior, & Deum celebrat.

Ismaël natus.

## CAPVT XVII.

### Argumentum.

*IN ECCLESIA sonat una & eadem vox Euangelij à primis parentibus perpetua serie certis testimonijs propagata. Ac vt testimonia essent illustriora, ritus additi sunt aliàs alij, qui temporum articulos discernent, & tanquam symbola de doctrina spectatores admonerent. Quanquam igitur vox ministerij eadem est: tamen externi ritus mutantur, vt nouitas signorum sit commonefactrix de noua instauratione doctrine. Sic cum Deus instaurasset Ecclesiam repetita promissio-*

missione & restricta ad familiam Abrahæ, addidit ritum circumcissionis, ut mentione ipsa membri admonerentur homines de venturo semine. Ut autem circumcisio & alia sacramenta publice sunt signa discernentia Ecclesiam ab alijs sectis: sic priuatim sunt signa testificantia de promissione gratiæ, & de voluntate Dei erga credentes.

## T E X T V S.

**V**T autem factus *ἡσθολογία.*  
 est Abram filius nonaginta & no-  
 uem annorum, apparuit **DOMINVS**  
 Abram, & dixit ad eum, Ego sum Deus  
 omnipotens, Ambula coram me, &  
 esto perfectus. Et *Perfectus. phrasi*  
 dabo fœdus meum *scripturæ significat*  
 inter me & inter te, *non contaminatum*  
 & multiplicabo te *cultu idolorum &*  
 vehementer nimis. *falsis opinionib. de*  
 Et cecidit Abram in *Deo, seu habentem*  
 faciem suam, & lo- *fidem & bonam con-*  
 cutus est **DEVS** cum eo dicens, Ecce *scientiam,*  
 ego & fœdus meum tecum, erisque in  
 patrem multitudinis gentium, nec vo-  
 cabitur vltra nomen tuum Abram, sed  
 erit nomen tuum Abraham, quia in  
 G patrem

patrem multitudinis gentium dedi te.  
 Ego faciam te crescere vehementer  
 nimis, & ponam te in gentes, & reges  
 ex te egredientur. Et erigam pactum  
 meum inter me & inter te, atq; inter se-  
 men tuum post te,  
 in generationib. su-  
 is fœdere perpetuo,  
 vt sim tibi in Deum  
 & semini tuo post te.  
 Dabo quoque tibi  
 & semini tuo post te  
 terram peregrina-  
 tionis tuæ, nempe  
 totam terram Cha-  
 naan in possessionē  
 perpetuam, eroque illis in Deum. Et  
 dixit Deus ad Abraham, Et tu pactum  
 meum custodies, tu & semen tuum post  
 te in generationibus suis. Hoc est pa-  
 ctum meum, quod obseruabitis inter  
 me & inter vos, atq; inter semen tuum  
 post te, Circumcidetur in vobis omnis  
 masculus, & circum-  
 cidetis carnem præ-  
 putij vestri, & erit in  
 signum fœderis in-  
 ter me & inter te.

Circumcisio non  
 pertinebat ad gen-  
 tes, sed tantum Is-  
 raelitas obligabat.  
 Ideo dicitur, In ge-  
 nerationibus suis.

Circumcisio prin-  
 cipaliter significat  
 promissam reconci-  
 liationem. Est enim  
 sigillum iusticiæ fir-  
 dei, vt Rom. 4. di-  
 citur.

Deus promittit  
 Abrahamæ semen &  
 terram, & obligat  
 eum ad circumcisio-  
 nem, quam affirmat  
 Et si-

Et filius octo dierum circumcidetur in vobis, Omnis scilicet masculus in generationibus vestris, Filius familias & qui pecunia emptus est à quocunque extraneo filio, qui non est de femine tuo, circumcidendo circumcidetur filius domus tuæ, & qui acquisitus est pecunia tua, eritque fœdus meum

esse testimonium de promissione. Vicissim promittit Abraham se circumcisionem recepturum esse, & traditurum posteris una cum promissionis propagatione, ut agnoscant verum Deum & promissum Dominum. Nam pactum seu fœdus est consensus duorum vel plurium verbis expressus, quo se uterque obligat ad aliquid dandum aut faciendum.

in carne vestra fœdere perpetuo. Et præputium habens masculus, in cuius carne præputium non fuerit circumcisum, exterminabitur anima illa de populis suis, eò quod pactum meum dissolvit.

Non privatio, sed cõtemptus sacramenti damnat.

Et dixit DEVS ad Abraham, Saraï uxorem tuam non vocabis Saraï, sed Sara erit nomen eius, & benedicam ei, Dedi quoque ex ea tibi filium, benedicam eam, eritque in gentes, & reges populorum ex ea nascentur.



Et cecidit Abraham in faciem suā, & risit, & dixit in corde suo: Num centum annos nato nascetur proles? &

nunquid Sara, quæ nonaginta annos nata est pariet? Et dixit Abraham ad Deum, utinam Ismaël uiuat coram te.

Et dixit Deus, Imo Sara uxor tua pariet tibi filium, uocabisque nomen eius Isaac, & ego erigam

factum meum cum illo, in fœdus perpetuum, & cum semine eius post ipsum. Et super Ismaël quoque audiui te. Nam benedixi ei & faciam illum crescere, multiplicaboque eum uehementer nimis, duodecim duces generabit, & ponam illum in gentem magnam. Factum uero meum erigam cum Isaac, quem pariet tibi Sara tempore hoc, in anno altero. Et desijt loqui cum illo, & ascendit Deus ab Abraham.

Et Abraham tulit Ismaël filium suum, & omnes uernacu-

Non terrore cecidit, nec etiam risit dubitans de promissione, sed ingenti perfusus lætitia & gaudio, Rom. 4. Ebr. 11.

Ambrosius lib. 10. super Lucam: Semper plus Dominus tribuit quam rogitur.

Obedientia Abrahamæ.

los suos, omnemque pecunia emtum, omnes masculos, qui erant in viris domus Abrahæ, & circumcidit carnem præputij illorum, in illa die, quemadmodum Deus locutus erat cum eo. Et ipse Abraham erat natus annos nonaginta nouem, quando circumcidebatur caro præputij eius. Ismaël vero filius eius erat natus annos tredecim, quando circumcisus est ipse in carne præputij sui. In illa ipsa die circumcisus est Abraham, & Ismaël filius, Sed & omnes viri domus eius, vernaculi domus, & qui emti erant pecunia ex filijs alienigenarum, circumcisi sunt cum eo.

Anno nonagesimo nono ætatis Abrahæ instituta est circumcisio.

## CAPVT XVIII.

## Argumentum.

*PRIOR pars huius capituli est dulcissima descriptio conuiuij, quo Abraham excipit tres viros, inter quos erat filius Dei, & mandat Sara, ut cito coquat panes ex tribus farine satis, & mactat ipse tenerum vitulum. Hoc conuiuium est imago Ecclesie. Abraham*

ham sacerdos mactat vitulum, qui significat venturam victimam. Ecclesia tanquam mater familiâ panes, id est, doctrinam distribuit. Assidet ipse filius Dei, qui semper adest Ecclesie sue, & conuiuas suo sermone recreat, & promissionem precipuam repetit. Intellexit Abraham quid ageretur, nec similem esse duxit eam cœnam, quotidianis officijs erga alios hospites, sed agnouit Dominum, quem sciebat Ecclesie custodem esse, & fore victimam pro nobis. Hunc cernuat oculis Abraham & Sara, & audiunt concionantem de miranda promissione & de iudicio Dei. Arbitror etiam cœnae institutæ in Ecclesia typum fuisse illud ipsum conuiuium.

ALTERA pars est imago furoris impiorum, qui nec beneficijs Dei ad pietatem flectuntur, nec plagis emendantur. Etsi enim ciues Sodomorum viderant se diuinitus liberatos esse, cum Abraham prostrigauit exercitum hostium: tamen mox obliti priorum pœnarum & liberationum, furenter ruunt in teterrima scelera.

T E X T V S.

**A**pparuit autem ei DOMINVS in planicie Mamre, & ipse sedebat in ostio

ostio tabernaculi,  
cum calesceret dies.

Et leuauit oculos suos & vidit, & ecce tres viri stabant iuxta eum, & videns cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & incuruatus est ad ter-

ram, & dixit, **Obsecro DOMINE**, si inueni gratiam in oculis tuis, ne quaeso transeas à seruo tuo, Afferatur quaeso paucillum aquæ, & lauante pedes vestros, & refocillamini sub arbore, & ego afferam buccellam panis, vt firmetis cor vestrum, postea transibitis. Ideo enim transistis ad seruum vestrum. Et dixerunt, sic facias, sicut locutus es.

Festinauit itaq; Abraham in tabernaculum ad Saram, & dixit, Festina,

Tria sata farinae repurgatae commisce, & fac panes subcinericios.

Et ipse Abraham currens ad iumenta tulit vitulum tene-

Hospitalitatem

Abrahæ hæc officia declarant. I. Obuiam it hospitibus.

II. Gestu corporis significat reuerentiam. III. Magnopere inuitat hospites.

IIII. Exceptos humanissime tractat.

V. Abeuntes comiter deducit.

Satum est mensura, quæ fere duos modios veteres Romanos significat.

Tria igitur sata pene medimnum efficiunt, qui congruit cum vsitata Lipsica

rum & bonum, & dedit puero, festinauitq; vt eum præpararet. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulū quem præparauerat, & posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub \* arbore, cum comederent. Et dixerunt ad eū, Vbi est Sara vxor tua? Et dixit, Ecce in tabernaculo. Et dixit, certo reuertar ad te iuxta tempus vitæ, & ecce filius erit Saræ vxori tuæ. Et Sara hoc audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post illum. Et Abraham atq; Sara erant senes, venerantque in dies, & cessauerat fieri Saræ via secundum mulie-

mensura, cui a scapha nomen est, quæ tantum farinæ continet, quantum semel in mediocri familia pinsetur.

Differunt panes modo assationis. Alii panes *αλιβαρίται*, id est, furnarii dicti sunt, qui nostro more in furnis assati sunt. Alii *εγχεύφια*, id est, in cineribus assati.

\* Hanc arborem Terebinthum fuisse scribit Hieron. & durasse vsque ad Constantini tempora.

Bona matrona est *εισεργος*.

Iuxta tempus vitæ, id est, secundum morem, quo solet infans viuificari in utero & nasci, viuificabitur & nascetur Isaac. Alii sic interpretantur: Si vixero.

Augustinus lib. 3. contra Iulianū cap. 11. hoc miraculum amplificat.

res.



res. Risit igitur Sara apud se dicens, Postquam inueteraui, erit mihi voluptas, & dominus meus consenuit? Dixitq; **DOMINVS** ad Abraham, Quare risit Sara dicens, Nunquid vere paritura sum, quæ consenui? Nunquid Deo est quicquam

Deo non modo nihil est impossibile, quod vult, sed ne arduum quidem aut difficile.

mirabile? Iuxta præfixum tempus reuertar ad te, iuxta tempus vitæ, & Saræ erit filius. Negauit autem Sara dicens, Non risi, timuit enim. Et ille dixit, Non est ita, sed risisti.

Et surgentes viri illi inde aspexerunt versus Sodomam, & Abraham ambulabat cum eis, vt eos dimitteret. Dixit autem **DOMINVS**, Num celabo Abraham, quæ ego facio? Et quidem Abraham futurus est in gentem magnam atq; robustam, & benedicentur in eo omnes gentes terræ. Hoc quoq;

scio, quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam **DOMINI**, & faciant iusticiam atq;

Exempla iræ Dei hominibus proponenda sunt, vt discant timere Dominum, Psalmo 78.

Facere iusticiam iudi-

iudicium, vt adducat **DOMINVS** super Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.

est facere mandata.  
Facere iudicium  
est vitare prohibita.

Et dixit **DOMINVS**, Clamor Sodomæ & Gomorræ profecto multiplicatus est, & peccatū eorum profecto inualuit valde.

Contumacia in atrocib. delictis est peccatum clamans in cœlum.

Descendam nunc & videbo vtrum secundum clamorem qui venit ad me fecerint consummationem, quod si non, vt sciam. Ac diuerterunt inde viri illi, & abierunt Sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram **DOMINO**, & accedens

Legitima cognitio executionem antecedit.

Isidorus citante Nicephoro lib. 14. cap. 53. Deo, qui omnia priusquã fiunt, nouit, perhumaniter & benigne placitum fuit, vt descenderet, & clamorem Sodomorū videret, certæ & exactæ inquisitionis nobis proponens exemplum.

Abraham dixit, Num etiam perdes iustum cum impio? Fortasse sunt quinquaginta iusti intra ciuitatem, num etiam perdes & non parces, propter quinquaginta iustos, qui sunt intra ipsam? Absit à te, vt facias istud, & inter-

interficias iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, absit à te. Nunquid iudicans vniuersam terram, non faciet iudicium? Et

dixit D O M I N V S, Si inuenero quinquaginta iustos intra ipsam ciuitatem parcam toti loco illi propter eos. Et respondens Abraham dixit, Ecce cōplacuit mihi loqui ad D O M I N V M meū qui sum puluis & cinis, fortasse deficient quinquaginta iusti in quinque, nunquid perdes ob quinque totam illam ciuitatem, & dixit, Non perdam, si inuenero ibi quadraginta quinque. Et adiecit iterum loqui cum eo, dicens, fortasse reperientur ibi quadraginta, Respondit, Propter quadraginta nihil faciam, Rursum dixit ille, Ne quæso irascatur D O M I N V S meus quod loquor, Fortasse inuenientur ibi triginta, Et dixit, Nihil faciam, si inuenero ibi triginta. Dixit ille iterum, En placuit, vt & iam loquar

Facere iudicium est benefacere bonis, eosque discernere a malis, & moderari pœnas illorum, qui sunt sanabiles, impios vero & insanabiles e medio tollere.

Modestia Abraham agnoscentis suam infirmitatem & indignitatem.

ad D o-

ad DOMINVM meum, fortassis inuenientur ibi viginti, Respondit, Non perdam propter viginti, Et ille ait, Ne quæso indignetur DOMINVS meus, & loquar saltem hac vice. Fortasse inuenientur ibi decem, Respondit, Non perdam propter decem. Et abiit DOMINVS postquam cessauit loqui cum Abraham, & Abraham quoque reuersus est ad locum suum.

## CAPVT XIX.

### Argumentum.

*MIRVM est in Sodomis tantum exarsisse furorem, cum haberent vicinos doctores Sem & Abraham, ac ciuem Lot. Testis illis erat diluuij Sem, Abraham liberauerat ciues Sodomorum profligato hostili exercitu. Sed nec exemplum diluuij, nec metus vllarum pœnarum, nec autoritas horum virorum, nec beneficia diuina, quæ per hos contigerant, flectere ad meliores mores hanc multitudinem potuerunt. Secuta est igitur pœna horrenda, cuius ipse filius Dei executor fuit. Hoc exemplum ira Dei Petrus in altera Epistola cap. 2. omnibus hominibus proponit*  
inqui-

*inquiens : Deus ciuitates Sodomorum ac Gomorra in cinerem redicens , subuersione condemnauit , eosq; fecit exemplum ijs , qui impie forent acturi .*

## T E X T V S.

**E**T venerunt duo Hospitalitas Lot,  
Ebr. 13.  
angeli Sodomā  
vespere, & Lot sedebat in porta Sodomā, ac videns Lot, surrexit in occursum illorum, incuruatusq; est faciente-  
nus in terram. Et ait, Obsecro, Domini mei, declinate quāso ad domum serui vestri, & pernoctate. Lauate etiam pedes vestros, & mane consurgetis ituri viam vestram, Qui dixerunt, Non, sed in platea pernoctabimus, & quasi violenter coëgit eos, declinantesque ad eum, intrauerunt domum eius, & fecit eis conuiuium, & posuit panem infermentatum, & comederunt. Priusquam autem irent cubitum viri ciuitatis, viri Sodomæ circum circa cinxerunt domum illam à puero vsq; ad senem, omnis populus ab extremitate, & vocantes Lot dixerunt ei, Vbi sunt illi viri, qui ingressi sunt ad  
te hac



te hac nocte? Educ illos ad nos & cognoscemus eos. Et egressus ad eos Lot, post tergum occlusit ostium, & dixit, Nolite fratres mei, quæso, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & vtimini eis sicut vobis placuerit, dum modo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra tecti mei. At illi dixerunt, Appropinqua illuc. Et rursus, Ingressus es, inquiunt, vt aduena, nunquid iudicabis nos? Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus, vimq; faciebant Lot vehementissime. Iamq; prope erat, vt effringerentur fores, & ecce miserunt manum suam viri, & introduxerunt ad se

2. Pet. 2. Lot oculis & auribus iustus, cum habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis illorum factis ex-cruciabat.

Lot, clausuruntque ostium, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.

Cæcitas propria pœna libidinum, Ephes. 4.

Et dixerunt viri illi ad Lot, Eos quos

quos adhuc hîc habes, generum, filios tuos, & filias tuas, sed & omnia quæ habes in ciuitate educ de loco isto. Nam nos perdemus locum istum, eò quod magnus sit clamor eorum coram DOMINO, misitq; nos DOMINVS, vt perdamus eum. Egressus itaq; Lot, locutus est ad generos suos, qui accipituri erant filias eius, dicens, Surgite, egredimini de loco isto, quia subuertet DOMINVS istam ciuitatem. Sed fuit in oculis generorum suorum quasi ludens. Et cum ascendisset aurora, urgebãt angeli Lot, dicentes, Surge tolle vxorem tuam, & duas filias tuas presentes, ne forte consumaris in peccato ciuitatis. Et tardante illo, apprehenderunt viri illi manum eius, & manum vxoris eius, atq; manum duarum filiarum eius, parcente DOMINO illi, & eduxerunt eum, posueruntq; eum extra ciuitatem. Et factum est, cum illi eduxissent eos foras,

Imago profanæ securitatis deridentis  
 comminationes diuinas tanquam inania terriculamenta.

Lucta carnis & spiritus in sanctis.

2. Pet. 2. Nouit Dominus pios e tentatione eripere. Sic

ras, dixit, Salua animam tuam, noli respicere post te, neque maneat in tota illa

iustum Lot, qui opprimebatur a nefariis, per libidinosam conuersationem eripuit.

planicie, versus montem saluare, ne forte absumaris. Dixitque Lot ad eos, Non quaeso mi Domine, En inuenit seruus tuus gratiam

Gratiarum actio est ad plus dandum inuitatio. Orditur ergo Lot precationem a commemoratione priorum beneficiorum.

in oculis tuis, & magnificasti misericordiam tuam, quam mecum fecisti, ut uiificares animam meam. Ecce ego non

Narratio, in qua exponit necessitatem seu magnitudinem periculi impendentis.

potero saluari in monte, ne forte apprehendat me malum illud, & moriar.

En est ciuitas illa vicina, ut confugiam illuc, illa parua scilicet, obsecro ut saluet ibi, Nonne parua est, & uiuet anima mea?

Propositio discrete exprimens rem petendam.

Et dixit ad eum, Ecce suscepi faciem tuam etiam in hac re, ut non subuertam ciuitatem illam,

Psalmo 145. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Dispensat de qua

de qua locutus es, enim Deus de suo  
 Festina, & saluare decreto propter pre  
 cibus Loti.  
 ibi, quia non pos-  
 sum facere quicquam, donec venies il-  
 luc, & hinc est quod vocatum est no-  
 men illius ciuitatis ZOAR.

Et Sol iam egressus erat super ter-  
 ram, cum Lot intraret Zoar, & D O-

M I N V S pluit super  
 Sodomam & Go-  
 morram sulphur &  
 ignem à D O M I N O,  
 & subuertit ciuita-  
 tes illas, & totam il-  
 lam regionem, om-  
 nes quoq; habitato-  
 res illarum vrbium,  
 & germen terræ.

Extant decreta in  
 Socrate Scholastico  
 lib. 5. Tripartitæ hi-  
 storix, cap. 7. quæ  
 ostendunt vetusta-  
 tem hæc dicta in  
 Moyse de Filio in-  
 tellexisse. Si quis  
 affirmat hoc, F A-  
 C I A M V S H O M I-  
 N E M, non Patrem  
 ad Filium dixisse,  
 Anathema sit.

sed ipsum ad sese Deum dixisse, Anathema sit.  
 Item. Si quis hoc, P L V I T D O M I N V S A D O-  
 M I N O, non de Patre & Filio accipit, sed ipsum  
 a seipso pluisse dixerit, Anathema sit. Pluit  
 enim Filius Dominus a Patre Domino. Hæc  
 decreta digna sunt accurata consideratione.

Et vxor eius re-  
 spexit post illum, &  
 facta est statua Salis.

Respicere signifi-  
 cat negligere man-  
 datum Dei, & occu-  
 pari aliis rebus non  
 mandatis. Augustinus Psalmo 69. Vxor Lot  
 facta est statua salis, vt condiat te. Exemplo  
 H enim

mandatis. Augustinus Psalmo 69. Vxor Lot  
 facta est statua salis, vt condiat te. Exemplo

nim tibi data est, vt tu cor habeas, non remaneas fatuus in via. Attende remanentem & transi, Attende respicientem retro, & tu in anteriora extensus esto sicut Paulus.

Et Abraham ante lucem matutinam in loco, vbi steterat coram facie Dei, respiciens versus situm Sodomæ, & Gomorræ, & versus vniuersam faciem terræ illius regionis vidit. Et ecce ascendit vapor illius terræ quasi vapor fornacis.

Et factum est cum perderet DEVS ciuitates illius regionis, recordatus est DEVS Abrahæ, & emisit Lot de medio subuersionis, cum subuerteret ciuitates illas, in quibus habitabat Lot. Et ascendit Lot de Zoar, & habitauit in monte, vnâ cū duabus filiabus suis, Timuit enim habitare in Zoar, & mansit in specu ipse, & duæ filiæ eius.

Egesippus lib. 4.  
 Quinque ita vbes incensæ, quarum vmbra quædam & species in fauillis cernitur. Arserit terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ cognoscuntur, atque ad huc manent. Spectes illic, specie forma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem. Si capias, fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumumque excitant quasi adhuc ardeant.

Et dixit



Et dixit primogenita ad iuniorem, Pater noster senuit, & vir non est in terra, qui ingrediatur ad nos iuxta morem vniuersæ terræ. Veni, potabimus patrem nostrum vino, dormiemusque cum

Lot pius & sanctus vir, cum in maximo mærore largius bibisset, ignorans polluitur incesto cōcubitu. Hic lapsus discernendus est à furoribus ciuiū Sodomæ, qui contumaciter perseverarunt in delictis contra conscientiam.

eo, vt seruemus de patre nostro semen. Potauerunt itaq; patrem suum vino nocte illa, & ingressa est primogenita, dormiuitq; cum patre suo, & ille non aduertit, cum accumberet illa, & cum surgeret.

Factumq; est in crastinum, vt diceret maior natu ad minorem: Ecce iacui heri cum patre meo, veni, potemus eum vino etiam hac nocte, & veni tu, & dormi cum eo, vt viuificemus de patre nostro semen. Potauerunt igitur etiam illa nocte patrem suum vino, & surgens minor, iacuit cum eo. At ipse nesciuit, quando illa accubuit, & quando surrexit, & conceperunt duæ filiæ Lot à patre. Peperit autem maior filium, & vocauit no-

Moab.

men eius Moab, Ipse est pater Moabit-  
 tarum vsq; in hunc diem, sed & minor  
 quoq; peperit filium, vocauitq; nomen  
 eius Ben Ammi, ipse Ammon.  
 est pater filiorū Am-  
 mon, vsq; in præsentem diem.

## CAPVT XX.

### Argumentum.

*ABRAHAM profectus ab Hebron  
 peregrinatus est in Gerar, & hic surrepta est  
 illi Sara coniunx ab Abimelech rege Ge-  
 rar, cuius libidinem Deus ita puniuit, ut in-  
 uiolatam Abrahæ coniugem reddere coge-  
 retur. Hæc historia congruit ad dictum Pſal-  
 mi 105. Non permisit hominem nocere eis,  
 & corripuit propter eos reges. Nolite tan-  
 gere Christos meos, & prophetis meis nolite  
 nocere.*

### TEXTVS.

**E**T profectus est inde Abraham in  
 terram Australem, & habitauit in-  
 ter Cades & inter Sur, & peregrina-  
 tus est in Gerar. Di-  
 xitq; Abraham de Gerar distat ab  
 Hebron duob. mi-  
 Sara

Sara vxore sua, Soror mea est, & misit

liaribus Germanicis.

Abimelech rex Gerar, & tulit Saram. Et venit Deus ad Abimelech in somnio noctis, & dixit ad eum, Ecce tu morieris propter mulierem, quam accepisti. Est enim iuncta marito. Abimelech vero non accesserat ad eam, & ait, DOMINE, nunquid interficies quoque gentem iustam? An non ipse dixit, Soror mea est. Et ipsa quoque dixit, Frater meus est. In integritate cordis mei, & in innocentia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus per somnium, Etiam ego scio, quod in integritate cordis tui feceris hoc, & prohibui

Deus secundas causas vel adiuuat, vel impedit, vel mutat.

etiam ego te, ne peccares in me, atque ideo non permisi ut tangeres eam.

Nunc igitur restitue vxorem viro. Est enim propheta ipse, & orabit pro te, ut

Autoritas Abrahamæ.

viuas. Quod si non restitueris, scito quod moriendo morieris, & tu & omnia quæ habes.

Abimelech igitur mane surrexit, & vocauit omnes seruos suos, & locutus

est omnes sermones hos in auribus illorum, timueruntque illi valde. Et vocauit Abimelech A-

braham, dixitque,

Abimelech molli  
brachio obiurgat A  
braham.

Quid fecisti nobis,

& quid peccaui in

te, quod induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? opera quæ non fieri debent, fecisti in me.

Dixitque Abimelech ad Abraham,

Quid vidisti, quod

fecisti rem istam?

Videre est proprium prophetarum. Ideo sæpe in scriptura appellantur videntes.

Et respondit Abraham,

quia dixi, certe non est timor Dei

in loco isto, & interficient me pro-

Apologia Abrahamæ.

pter vxorem meam, sed & vere soror

mea est, est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris meæ, & facta est mihi in vxorem. Factumque est cum me exulare fecisset Deus de domo patris mei, dixi ad eam, Hoc sit beneficium tuum, quod mihi tribues, in omni loco ad quem peruenerimus dices de me, Frater meus est.

Accepit autem Abimelech oues &

boues, seruos & an-

imas, & dedit illis, & abiit.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Abraham autem abiit in orientem.

Beneficentia Abi-  
cillas,

cillas, & dedit Abraham melech erga prophetam Abraham.

hæ, reddiditq; ei Saram vxorem suam, & dixit Abimelech, Ecce terra mea coram te est. Habita vbi tibi commodum visum fuerit. Ad Saram autem dixit, Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce est tibi in velamen oculorum ad

omnes, qui tecum sunt, & alios omnes, Sic reprehensa est.

Et orauit Abraham ad DEVM, &

fanauit DEVS Abimelech & vxorem eius & ancillas eius, & pepererunt, quoniam conluserat DOMINVS omnem matricem domus Abimelech propter Saram vxorem Abraham.

Testimonium de inuiolata pudicitia Saræ, ne quis suspicetur Isaac esse filium regis Abimelech.

## CAPVT XXI.

### Argumentum.

INITIO huius capitis consideretur exemplum fidei in Sara, de qua Ebreos 11. dicitur: Fide Sara vim ad concipiendum ac retinendum semen accepit, ac præter ætatis rationem peperit, quod fidelem iudicaret eum,

H 4 qui



qui promiserat. Deinde sciamus Ecclesiam non propagari carnali generatione, sed promissione & fide, ut Rom. 9. Paulus inquit, Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei, sed qui sunt filij promissionis habentur pro semine. Tertio discamus ibi incipere diuinum auxilium, ubi desinit humanum. Cum enim Agar ancilla Abrabe cum filio suo Ismaël sititura esset, angelus Dei ostendit illi partum, unde cum prole sua saturata est. Postremo non dubitemus Deo placere officia politica & œconomica, cum narratio huius capituli testetur Abraham præstitisse iuramentum, & fœdus inisse cum rege Abimelech, & arbores plantasse.

## TEXTVS.

**E**T DOMINVS Deus est verax, & visitauit Saram optima fide præstat promissa. sicut dixerat, & fecit DOMINVS Saræ sicut locutus fuerat. Nam concepit & peperit Sara Abrahamo filium in senectute sua, certo tempore, quod dixerat ei Deus, & vocauit Abraham nomen filij sui, qui sibi natus erat, & quem sibi pepererat Sara, Isaac. Circum- Natus Isaac. cidit

cidit quoque Abraham Isaac filium suum, cum esset filius octo dierum, quem admodum præceperat illi Deus. Et Abraham fuit filius

centum annorum, *χρονολογία.*  
 cum sibi nasceretur filius Isaac. Et Sara dixit, Risum fecit mihi Deus, omnis audiens ridebit me. Et dixit, quis diceret Abraham, lactavit Sara filios, siquidem genui filium in senectute illius. Et crevit puer, & ab lactatus est, fecitque Abraham conuiuium magnum in die illa cum ab lactaretur Isaac. Et vidit Sara filium Hagar Aegyptiæ, quem genuit Abrahamo, quod esset derisor. Et dixit ad Abraham, Eijce ancillam istam & filium eius,

Non enim erit hæres filius istius ancillæ, cum filio meo, cum Isaac. Et valde displicuit verbum illud in oculis Abraham, super causa filij sui. Et dixit Deus ad Abraham, Non displiceat in oculis tuis. De puero & ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi se-

Allegoria huius loci de duobus testamentis, Gal. 4.

men. Quin & filium *Semen Abraham aut est i. Naturale* ancil-

ancillæ ponam in gentem, quia semen tuum est.

sine promissione vt Ismael. Aut 11. Naturale cum promissione vt Isaac.

111. Aut semen promissionis sine naturali propagatione, vt omnes credentes, Rom. 9. Gal. 3.

Et surrexit Abraham mane, & accepit panem & lagenulam aquæ, & dedit Hagar, imponens super humerū eius, & emisit eam vnā cum puero, quæ abiens errauit in deserto Beërseba.

Abraham ardentē amat filium Ismael. Quo enim quæque natura præstantior est, eo habet ardentiores cogitatus. Sed tamen huic affectui antefert mandatum Dei. Sic in nobis amor Dei & Ecclesiæ vincat cæteros affectus.

Et consumptæ sunt aquæ in lagenula, & proiecit puerum sub vnum ex virgultis, & abiens sedit è regione longitudine iactus arcus, quoniam dixit, Non videbo mortem pueri, & sedens è regione leuauit vocem suam & fleuit.

Audiuit autem DEVS vocem pueri, vocauitq; angelus Dei de cœlo Hagar, & dixit ad eam. Quid est tibi Hagar? Noli ti-

Psal. 27 Pater & mater dereliquerūt me, Dominus autem suscepit me. Psal. 10. Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor, id est, Iis qui deserti & causis secundis te mere,

mere, quia exaudiuit D E V S vocem pueri ex eo loco, in quo est. Surge, tol-

inuocant. Tunc enim vere vult opitulari, cum deserti sumus a creaturis.

le puerum, & apprehende eum manu tua, quoniam in gentem magnam ponam eum. Et aperuit Deus oculos eius,

viditque fontem aquarum, & abiens impleuit lagenam aqua, & dedit puero

Deus Agar pulsæ in exiliū fontem in deserto monstrat.

bibere. Et fuit Deus cum puero & creuit, mansitq; in solitudine, & factus est magister arcus. Habitauit autem in

Pharan solitudo in finib. terræ sanctæ, vicina tribui Iuda, vt ostendit liber Numerorum.

deserto Pharan, & accepit ei mater sua vxorem de terra Aegypti.

Factumq; est in illo tempore, vt diceret Abimelech & Phichol princeps exercitus eius ad Abraham dicens: D E V S est tecum in omnibus quæ facis, & nunc iura mihi per Deum, vt non inique agas mecum, & cum prole mea, & nepote, sed iuxta misericordiam quam feci tecum, tu agas mecum, & cum terra, in qua peregrinatus es. Dixitq; Abraham, Ego iurabo.

jurabo. Et redarguit Abraham Abimelech super causa fontis aquæ, quem vi abstulerant serui Abimelech, & dixit Abimelech, Nescio quis fecerit rem istam, nec tu indicasti mihi, & ego quoque non audiui nisi hodie.

Et tulit Abraham oues & boues ac dedit Abimelech, & percusserunt ambo

fœdus, & Abraham statuit septem agnas ouium separatim. Dixit autem Abimelech ad Abraham, Quid volunt tibi septem agnæ istæ, quas statuisti separatim? Respondit, Quoniam septem istas agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quod ego foderim puteum istum. Ideo locus ille

vocatus est Beerseba, quia uterq; ibi iurauit, & percusserunt fœdus in Beerseba, & surrexit Abimelech & Phichol princeps exercitus

Bernardus. Magistratus cogitur multa ignorare, & multa cognita dissimulare. Est igitur bonus gubernator, qui habet studium recte faciendi, & plerumque recte facit, etiamsi interdum peccat.

Beerseba puteus Iuramenti, quia iuxta hunc fœdus iniit Abimelech rex Gerar, primum quidem cum Abraham, deinde autem cum Isaac, Gen. 26.

cuius,



eius, & reuerſi ſunt ad terram Philiftim.  
Et plantauit arbores in Beërſeba, &  
uocauit ibi in nomine D O M I N I D e i  
æterni, & peregrinatus eſt Abraham  
in terra Philiftim multis diebus.

## CAPVT XXII.

### Argumentum.

*CUM* Abrahæ diuinitus mandaretur  
filij immolatio, habitabat in Beërſeba, que  
diſtabat decem miliaribus aut circiter à Ie-  
roſolyma. Quare nec tardiffime fecit iter,  
nec properare potuit, cum & magnis dolori-  
bus exerceretur, & ſepe humi ſtratus dice-  
ret preces, & ſecedens à comitibus fun-  
deret lachrymas, & cogitaret ſignificationes  
huius diuini mandati. Sic autem proceſſit  
biduo, ut tertio die uenerit ad montem Mo-  
ria, & ibi ſacrificium perfecit. Eſi au-  
tem alij alias etymologias querunt nominis  
Moria: tamen nos contenti ſimus etymolo-  
gia Abrahæ, qui nominat montem, Deus  
uidebit. Sit igitur aſpectio ſeu oſtenſio Dei.  
Teſtatur eſt enim Abraham hac appella-  
tione, Deum in hoc loco illuſtri teſtimonio pa-  
tefactum eſſe, & promiſſionem repetuiſſe.

Nos

*Nos vero hanc insignem historiam de immolatione Isaac legentes, consideremus fidem & obedientiam Abraham, & nostram infirmitatem deprecemur, & cum Apostolis precemur, Domine auge nobis fidem.*

## T E X T V S.

**F**actum est autem post negocia hæc Deus tentauit Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Qui respōdit, Ecce ego, & ait, Tolle nunc filiū tuum vnicum, quem diligis, Isaac, & vade ad terram \*Moria, & offeres eum ibi in holocaustum, super vnum montiū quem dixerō tibi.

Igitur Abraham mane surgens, cinxit asinum suum, & accepit secum duos pueros, & Isaac filium, sectisq; lignis

Huius tentationis finis est, vt Abraham sibi & toti posteritati innotescat, sicut de Iob inquit Hieronymus: Hæc Iob contigerunt, vt appareat foris hominibus, quod intrinsecus erat apud Deū. Cogita autem quam grauis hæc tentatio fuerit: Tolle, inquit, non pecudem aut seruum, sed filium, non quidem alienum, sed tuum, nec ex multis vniū, sed vnicum heredem, quem ardentè diligis, & hunc offer mihi eo genere sacrificii, quod totum comburitur.

in ho-

in holocaustum, surrexit & abiit ad locum, de quo dixerat illi Deus. Die autem tertio leuauit Abraham oculos suos, & vidit locum illum à longe. Dixitq; Abraham ad pueros suos, sedete hic cum asino, ego autem & puer illuc ibimus, & postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Et tulit Abrahā ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, Ipse vero accepit in manum suam ignem & cultrum, & pergebant duo illi simul. † Dixit autem Isaac ad patrem suum, Pater mi, At ille respondit, Ecce ego fili mi, Ait ille, Ecce

\* Moria. Ierusalem complexa fuit duos montes, quorum alterius nomen fuit Sion, in quo condita fuit arx Dauidis. Significat autem Sion speculam.

Alterius montis nomen est Moria, in quo templum à Salomone conditum est, vt scribitur 2. Paralip. 3. Simus autem contenti etymologia Abrahæ, qui nominat hunc montem Deus videbit.

Theodoretus in quaestio. Geneseos: *μίσθον γὰρ ἂν ὁ πατριάρχης φύσας τὴν καὶ πίστας, καὶ νοτιόμυσθον ἐκατίραθεν ἴδωκεν τὴν πίστιν τὰ κλητήρια.* Abraham cū esset medius inter naturam & fidem, & modo huc, modo illuc inclinaret, ad extremum tribuit fidei victoriam.

† Oratio Isaac ad patrem,

ignis

ignis & ligna, vbi est pecus ad holocaustum? Respondit Abraham, Deus

Responsio patris.

prouidebit sibi pecus in holocaustum filii mei, & pergebant duo illi pariter. Et venientes ad locum, de quo dixerat illi Deus, ædificauit ibi Abraham altare, & ligna composuit. Ligansq; Isaac filium suum, posuit eum in altare super ligna, extenditque manum suam, & arripuit cultrum, vt mactaret filium suum.

Et clamauit ad eum angelus DOMINI de caelo, dicens, Abraham, Abraham. Qui respondit, Ecce ego. Et ille ait, Non mittas manum

tuam in puerum, neq; facias illi quicquam. Quia iam cognoui, quod tu timeas Deum, & non pepercisti filio tuo vnico propter me. Et leuans Abraham oculos suos, vidit, & ecce aries post tergum, comprehensus in perplexitate

vepri-

Exemplum fidei & obedientiæ, Ebr. 11. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & virginum obtulit, in quo promissiones acceperat, ad quem dictum fuerat, quod in Isaac vocabitur tibi semen, cum illud secum perpenderit, Deum vel a mortuis excitare posse, vnde illum etiam resurrectionis typo reduxit.

veprium cornibus suis, abiensque tulit arietem illum, & obtulit eum in holocaustum pro filio suo. Vocauitque Abraham nomen loci illius, **DOMINVS** videbit, sicut & hodie dicitur, In monte **DOMINVS** videbitur.

Vocauit autem angelus **DOMINI** Abraham secundo de cælo dicens, Per meipsum iuravi, dicit **DOMINVS**, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris, & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

**BENEDICENTVR** quoque in **SEMINI** TVO omnes

Postremum colloquium Dei cum Abraham, in quo repetitur promissio de Mediatore, cuius typus erat Isaac. Obseruetur autem in hac repetitione iuramentum, quod Ebraeos sexto vere exaggeratur & amplificatur: Cum non posset Deus per quenquam maiorem iurare, iurauit per seipsum, vt hæredibus pmissionis certitudinẽ immotam consilii sui ostenderet, & vt per duas res immutabiles firmam consolationem haberemus, &c.

Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, semines  
I gentes



gentes terræ, quia minibus, tanquam  
obedisti voci meæ. de multis, sed tanquam de vno, & in

semine tuo, qui est Christus. Significat etiam hæc promissio omnes gentes iam maledictas esse, hoc est, Deum irasci omnibus gentibus, earum que oppressas esse peccato & morte. Sed futurum vt per Abrahamæ semen rursus ab his malis liberentur. Sic enim interpretatur benedictionem Abrahamæ promissam Paulus Ephes. 1. quod videlicet missus sit Messias, non vt det mundi imperium, sed deleat peccatum & mortem, & instauret iusticiam & vitam, & nos auulsos a Deo rursus cum Deo copulet, coniungat cœlestia & terrestria, id est, Deum & Ecclesiam in cœlo & in terra.

Sunt & aliæ multæ consequentiæ in hac promissione.

I. Mediator est homo & Deus. Homo, quia semen Abrahamæ. Deus, quia benedicit merito & efficacia. II. Conceptus de Spiritu sancto & Natus ex Maria virgine. Alioqui enim & ipse maledictus esset. III. Hæc benedictio spiritalis fide accipitur. Hic modus, quo consequimur beneficia Christi, significatur verbo Hitzpael, Benedicent se. IIII. Propter forlun Christum sumus & manemus benedicti, quia diserte dicitur, In semine, non in seminibus. V. Ecclesia est cœtus collectus ex Iudæis & gentibus.

Reuersus est itaq; Abraham ad pueros suos, & surgentes venerunt pariter Beërseba, habitauitq; ibi Abraham.

Et factum est, postquam hæc gesta sunt,

funt, vt nunciaretur Genealogia Nahor fratris Abrahæ.  
 Abrahæ, à dicente,  
 Ecce peperit & ipsa Milca filios fratri tuo Nahor, nempe, Vz primogenitum suum, & Buz fratrem eius, atq; Ke- Vz patria Iob.  
 muël patrem Syrorum. Sed & Chæsed & Hazo & Pildar, Iidlaph, atq; Betuel. Betuël vero genuit Rebeccam, octo istos genuit Milca, Nahor fratri Abraham. Sed & concubina eius, nomine Rehuma genuit Tabah & Gaham, Tahas & Maacha.

## C A P V T X X I I I .

## Argumentum.

*Hoc caput proponit imaginem diligentis patrisfamiliâs, qui in emendo singulari cura prestat iusticiam ac equalitatem, quam diuinitus sancitam esse in rerum communicatione intelligit, & actiones œconomicas refert ad hunc finem præcipuum, vt in eis luceat confessio.*

## T E X T V S.

I 2

Porro

**P**orro vita Sarae fuit centum annorum & viginti annorum, atq; septem annorum, Hi anni vitae Sarae. Et mortua est Sara in Kiriath Arba, ipsa est Hebron in terra Chanaan. Venitq; Abraham vt plangeret Saram, & \*fleret eam.

Hieronymus scribit Hebron dictam esse *κτεράρα*, quia ibi sepulti sunt quatuor patres, Adam, Abraham, Isaac, Iacob.

\*Fleret. Desendi sunt mortui, sed temperatius. Nam mortui non sunt, eandem sed viam, Quam cogit omnes ingredi necessitas Praemuniere nobis, nos in posterum Idem sequemur ipsos in consortium, Communis & vita fruemur patriae.

Surgens itaq; Abraham a conspectu funeris sui, locutus est ad filios Heth dicens: Peregrinus & inquilinus ego sum apud vos, date mihi possessionem sepulturae apud vos, vt sepeliam mortuum meum a facie mea. Et responderunt filij Heth Abraham, dicentes ad eum, Audi nos Domine, Princeps Dei tu es in medio nostri, in electioribus

Psalmo 39. Peregrinus ego sum & inquilinus, sicut omnes patres mei.

Autoritas Abraham.

sepul-

sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, & nemo ex nobis prohibebit sepulchrum suum, quin in eo sepelias mortuum tuum.

Et surgens Abraham adoravit populum terræ, filios videlicet Heth, locutusque est cum eis dicens, Si placet animæ vestræ, vt condam mortuum meum à facie mea, audite me & intercedite pro me apud Ephron filium Zohar, vt det mihi speluncam duplicem, quam ipse habet, & quæ est in extremitate agri sui, tradat autem eam mihi pro plena pecunia, idque in medio vestri, in possessionem sepulchri.

Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth, Responditque Ephron ille Hethens Abraham in auribus filiorum Heth, coram omnibus qui ingrediebantur portam ciuitatis suæ, dicens, Non mi Domine, sed audi me, Agrum trado tibi & speluncam quoque, quæ in eo est, tibi do, in oculis filiorum populi mei trado tibi eam, sepeli mortuum tuum. Adorauit itaque Abraham coram populo terræ, & locutus est ad Ephron in aurib. po-

Reuerentia Abrahamæ erga dominos terræ.

puli terræ, dicens, Verum si tu vis, audi  
 quæso me, Ego dabo pecuniam pro  
 agro, suscipe eam, & sepeliam mortu-  
 um meum ibi. Respondit vero Ephron  
 ipsi Abraham dicens, Mi domine audi  
 me, terra valet quadringentos siclos  
 argenteos, inter me & inter te, quid  
 est hoc? Mortuum igitur tuum sepeli.  
 Audiuit itaq; Abraham Ephron, & ap-  
 pendit ipse Abraham Ephron pecuni-  
 am quam taxauerat in auribus filiorum  
 Heth, quadringen-  
 tos scilicet siclos ar-  
 genteos ad merca-  
 torem transeuntes.

400. Sicli valent  
 coronatis 160. Nam  
 Siclus est dimidius  
 aureus Rhenensis.

Et confirmatus est  
 ager Ephronis vnâ cum spelunca du-  
 plici, qui scilicet erat è regione Mam-  
 re, ager, inquam, & spelunca, quæ in  
 illo erat, & omnes arbores quæ erant  
 in agro, quæq; erant in omnibus per  
 circuitum terminis eius, ipsi Abraham  
 ( *confirmatus est* ) in possessionem in  
 oculis filiorum Heth coram omnibus  
 ingredientibus portam ciuitatis illius.

Post hæc sepeliuit Abraham Saram  
 vxorem suam intra speluncam agri du-  
 plicem è regione Mamre, hæc est He-  
 bron



bron in terra Chanaan. Confirmatus est itaq; ager, & spelunca quæ in eo erat, ipsi Abraham in possessionem sepulchri à filijs Heth.

## CAPVT XXIII.

### Argumentum.

TOTVM hoc caput est Ethicum, continens exempla plurimarum virtutum, cuiusmodi sunt, Inuocatio, Gratiarumactio, Religio iurisiurandi, Fidelitas serui erga dominum, Hospitalitas, Reuerentia mutua, Amor coniugalis. Nam seruus Abrahae non confidit sua industria, sed vera fide & spe petit & expectat gubernationem, auxilium & salutare euentus à Deo. Deinde expressa gratiarumactio testatur Deum fuisse gubernatorem consiliorum & euentuum, & religiose manet intra metas iuramenti, quod Abraham prestiterat. In Rebecca vero & Laban exemplum hospitalitatis proponitur, quæ peregrinos officiose excipit & dimittit. Postremo Isaac est imago amoris coniugalis.

### T E X T V S.

**E**Rat Abraham  
senex, dierumq;  
multorum, & D O M I N U S  
in cunctis  
benedixerat ei. Di-

Huius capituli lu-  
culenta enarratio  
extat in Oratione  
oſtaua Theodoretii  
de prouidentia.

xitq; ad ſeruum ſeniorẽ domus ſuæ,  
qui præerat omnibus quæ habebat. Po-  
ne manum tuam ſubter femur meum,  
& adiurabo te per D O M I N U M De-  
um cœli & terræ, vt non accipias vxo-  
rem filio meo, de filiabus Cananæo-  
rum, inter quos habito, ſed ad patriam  
meam & cognationem meam profici-  
ſcaris, & accipias vxorem filio meo  
Iſaac.

Dixit vero ſeruus ille ad eum, Si no-  
luerit mulier illa venire mecum in ter-  
ram hanc, nunquid reducere debeo fi-  
lium tuum ad terram vnde tu egreſſus  
es? Dixitque Abraham, Caue ne for-  
te reducas meum filium illuc, D O M I N U S  
Deus cœli, qui tulit me de domo  
patris mei, & de terra natiuitatis meæ,  
& qui locutus eſt ad  
me, quique iurauit  
mihi dicens, Semi-  
ni tuo dabo terram  
hanc, ipſe mittet

Deus addidit pro-  
miſſioni iuramentũ,  
vt confirmaretur in  
mentibus certitudo  
promiſſionis & af-  
ſenſio, Ebræos 6.

ange-

angelum suum ante te, & accipies inde uxorem filio meo. Sin autem mulier noluerit sequi te, non obligatus eris iuramento, tantum filium meum ne reducas illuc. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.

Et accipiens seruus decem camelos ex camelis domini

Diligentia & fides serui.

sui in manu sua, eratque omne bonum domini sui in manu sua, & surgens abiit in Mesopotamiam ad ciuitatem Nahor. Porro camelos fecit accumbere extra ciuitatem iuxta fontem aquæ vespere, eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam. Dixitq;

DOMINE Deus domini mei Abraham, obsecro fac occurrere mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego

Precatio serui, in qua est compellatio veri Dei, qui se patrefecit illustrib. testimoniis Abraham, & tradidit ei promissionem.

sto iuxta fontem aquæ, & filia hominum ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam,

& illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ea sit, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo.

Factumque est priusquam ipse desijt Effectus precat

loqui, ecce Rebecca egrediebatur, filia Bethuelis, filij Milchæ vxoris Nahor fratris Abraham, eratque hydria sua in humero suo. Erat

autem puella illa valde pulchro aspectu, Rebecca fuit puella ingenio, forma & virtute præstans. eratque virgo, & quã

nullus vir cognouerat, & descendebat ad fontem, impleuitque hydriam suam & ascendit. Et currens seruus in occursum eius dixit, Pota me quæso paulillo aquæ de hydria tua, quæ ait, Bibe domine, festinansque deposuit hydriam suam super manum suam, & dedit illi bibere. Et vbi desijt potare illum dixit, Camelis quoque tuis hauriam, donec cuncti bibant. Et festinans effudit hydriam suam in canalem, currensque iterum ad puteum, vt hauriret, hausit pro omnibus camelis illius. Porro vir ille obstupuit in ea, tacens quidem, vt

cogno-

cognosceret, num dominus prosperum fecisset iter suum an non. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir ille inaurem auream, cuius pondus erat dimidium sicti, & duas armillas super manus illius, quarum pondus erat decem sictorum auri. Dixitq; Cuius filia es? indica quæso mihi, estne in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum, Respondit ei, Filia sum Bethuelis filij Milcha, quæ illum genuit ipsi Nahor, dixitq; Etiam palea & pabulum multum est nobiscum, & locus spaciosus est ad manendum.

Et inclinavit verticem vir ille, & adoravit **DOMINVM**, dicens: Benedictus **DOMINVS** Gratiarum actio.  
Deus domini mei

Abraham, qui non deseruit misericordiam suam & veritatem suam à domino meo. Ego existens in itinere, deduxit me **DOMINVS** vsq; ad domum fratrum domini mei. Et currens puella nunciauit domui matris suæ iuxta hæc verba. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, & is cucurrit ad virum foras, ad fontem, cumq; vidisset inaures & armillas in manibus foro-



fororis suæ, & cum audisset verba Re-  
becca fororis suæ dicentis, Sic ad me  
locutus est vir ille, venit ad virum, &  
ecce isstabat apud fontem iuxta came-  
los, Et dixit, Veni  
benedicte **D O M I-** Hospitalitatis ex  
emplum.  
**NI**, cur stas foris?

Ego quidem præparavi domum, & lo-  
cum pro camelis. Et introduxit eum  
ad domum, & soluit camelos, & dedit  
paleam & pabulum camelis, atque a-  
quam vt lauaret pedes suos, & pedes  
virorum qui cum illo erant. Apposuit  
quoq; coram eo, vt comederet. At ille  
ait, Non comedam,  
donec locutus fue- Seruus anteponit  
mandatum domini  
laxamento proprii  
corporis.  
ro sermones meos,  
Respondit ei, loque-

re, Et ait, Seruus sum Abraham. Et  
quidem **D E V S** benedixit dominum  
meum valde, & magnificatus est, de-  
ditq; illi oues & boues, argentum &  
aurum, seruos & ancillas, camelos quo-  
que & asinos. Sed & Sara vxor domi-  
ni mei peperit filium domino meo,  
postquam ipsa consenuit, & dedit illi  
omnia quæ habet. Adiurauitq; me do-  
minus meus dicens, non accipies vxor-  
rem

rem filio meo de filiabus Cananæi, in cuius terra ego habito. Sed ad domum patris mei perges, & ad cognationem meam, & accipias vxorem filio meo. Dixitq; ad dominum meum, Fortassis non ibit mulier post me. Et ille respondit mihi, **DOMINVS**, in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & prosperum faciet iter tuum, accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Tunc solutus eris à iuramento meo, cum veneris ad cognationem meam, & si non dederint tibi, eris solutus à iuramento meo. Veni ergo hodie ad fontem, & dixi, **DOMINE** Deus, domini mei Abraham, si tu nunc prosperum facis iter meum, in quo ego ambulo, Ecce ego sto iuxta fontem aquæ, & erit vt puella quæ egreditur ad hauriendam aquam, dixeroc; ad eam, da mihi quæso pauxillum aquæ de hydria tua, vt bibam, & illa dixerit mihi, & tu bibe, & camelis tuis hauriam: illa sit mulier, quam præparauit **DOMINVS** filio domini mei. Et ego antequam consummassem loqui in corde meo, ecce Rebecca egrediebatur, & hydria eius  
in hu-

in humeris eius, descenditque ad fontem & hausit aquam, & dixi ad eam, Da mihi bibere. Illa vero festinans deposuit hydriam suam de humero suo, & dixit, Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, & ego bibi, & camelis quoque ipsa potum dedit. Interrogans autem eam, dixi, Cuius filia es tu? Quæ respondit, filia Bethuelis, filij Nahor, quem illi peperit Melca, & posui in aurem super faciem eius, & armillas super manus eius, incuruatoque vertice adoravi DOMINUM, & benedixi DOMINO Deo domini mei Abraham, qui deduxit me per iter rectum, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius. Et nunc si consentitis facere misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi, Sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vertam me ad dextram vel ad sinistram.

Et respondit Laban atque Bethuel dicentes, A DOMINO egressum est verbum istud, & ideo non poterimus loqui ad te malum vel bonum. En Rebecca coram te est, accipe & vade ut sis in uxorem filio domini tui, sicut locutus est DEVS. Cum audisset seruus Abra-

Abraham verba illorum, adoravit pronus in terram DOMINUM. Et protulit seruus ille vasa argentea & aurea, atq; vestimenta, & dedit Rebeckæ, muna quoq; obtulit fratri eius & matri. Et comederunt atq; biberunt ipse & viri, qui cum ipso erant, & pernoctauerunt.

Surgens autem mane dixit ille, dimittite me, vt vadam ad dominum meum. Respondit frater eius atq; mater, Maneat puella nobiscum per dies saltem decem, & postea ibit. Ait illis, Nolite impedire me, en DOMINVS prosperam fecit viam meam, dimittite igitur me, vt vadam ad dominum meum. Et illi dixerunt, Vocabimus puellam,

& quæremus ipsius voluntatem. Vocabuntur igitur Rebeckam, & dixerunt

Coniugia mutuo consensu sponsi & sponsæ iunguntur.

ad eam, Vis ire cum viro illo? Et respondit, Ibo. Dimiserunt itaque Rebeckam sororem suam, atque viros eius, & seruum Abraham atque viros eius. Et benedixerunt Rebeckæ, dixeruntq; ad eam, Soror nostra tu es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum

tuum portas inimicorum suorum. Surrexit itaque Rebecca, & puellæ eius, & conscendentes camelos, secutæ sunt virum, & tulit seruus ille Rebeccam atque abiit.

Et Isaac veniebat à puteo, cuius nomen erat viuentis & videntis me. Habebat enim in terra Australi. Et egressus erat ad meditandum in campo tempore vespertino, & leuans oculos suos vidit camelos venientes. Rebecca quoque leuauit oculos suos, & conspecto Isaac lapsa est de camelo, & dixit ad seruum, Quis est vir ille, qui ambulat in campo in occursum nostrum? Respondit seruus, Ipse est dominus meus. At illa tulit peplum, & operuit se. Et narrauit ipsi Isaac omnes res quas gesserat. Introduxitque eam Isaac in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit Rebeccam, factaque est ei in uxorem, & dilexit eam, & consolatiorem accepit post matrem suam.

## CAPVT XXV.

Argumentum.



DVO sunt loci huius capituli precipui.  
 P R I O R est insigne testimonium de resurrectione mortuorum, Abraham, inquit, congregatus est ad populum suum, quasi dicat, anime pecudum in morte extinguuntur & dissipantur. At hominum imprimis, piorum anime discedentes ex corporibus superstites & immortales sunt, & aggregantur ad Ecclesiam beatam, & expectant postremam mundi diem, in qua cum corporibus resuscitatis iterum copulabuntur.

A L T E R locus est necessaria admonitio de Ecclesia, que non propagatur generis aut loci prerogativa, sed vocatione & verbo Dei. Familia Iacob est Ecclesia Dei, quia retinet verbum diuinitus traditum. Familia Esau, quia non retinet verbum, non est Ecclesia, etiamsi ab Esau primogenito propagata est. De hac sententia prolixè Paulus disputat Rom. 9. Non igitur moueamur titulis aut successione ordinaria, aut alijs prerogatiuis humanis, ut cæcum hostem veræ doctrinæ, & pollutum parricidijs hominum innocentium & libidinibus Ecclesiam esse existimemus.

T E X T V S.

K

Adiecit

**A** Diecit vero Abraham, & accepit vxorem nomine Ketura, quæ peperit illi Zimran, & Iakfan, & Medan atq; Midian, Ijsbak quoque & Suah. Iakfan vero genuit Seba & Dedan, & filij Dedan fuerunt Assurim, Letusim, & Leumim. Porro filij Midian, Epha & Epher, Hænoch & Abida atq; Eldaah, omnes hi fuerunt filij Keturæ. Deditq; Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filijs autem concubinarum dedit munerâ, & dimisit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad Orientem, ad terram Kædem. Et isti sunt dies annorum vitæ Abraham, quibus vixit, centum anni, septuaginta anni, & quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, senex & satur dierum, collectusque est ad populos suos. Et sepelierunt eum Isaac & Isma-

Exemplum opponendum hæreticis, qui damnant secundas nuptias.

Midian & Epha habitauerunt in Arabia Petræa versus Aegyptum, & magnam partem Arabiæ felicitis tenuerunt. Midian est versus mare rubrum. Epha est pars Arabiæ felicitis.

Testimonium de resurrectione mortuorum. Nam mortui in Domino non el fi-

el filij eius in spe-  
 lunca duplici, in a-  
 gro Ephron filij Zohar Hethæi, è re-  
 gione Mámre, quem agrum emerat A-  
 braham à filijs Heth, Ibi sepultus est  
 Abraham, & Sara vxor eius. Et post  
 obitum Abrahæ benedixit Deus Isaac,  
 filio eius, habitauitq; Isaac iuxta pute-  
 um viuientis & videntis.

dissipantur, sed col-  
 liguntur.

Hæ sunt genera-  
 tiones Ismaël filij

Ismaëlis posteri-  
 tas.

Abrahæ, quem peperit ei Hagar Aegy-  
 ptia ancilla Saræ. Et hæc sunt nomina  
 filiorum Ismaël in nominibus & gene-  
 rationibus suis. Primogenitus Isma-  
 el Nebaioth, & \*Kedar, Adbeël atque  
 Mibsam, Mifma quo-  
 que, Duma & Mas-  
 fa, Itemq; Hædar,  
 & Thema, Ietur, Na-  
 phis & Kedma. Hi  
 sunt filij Ismaëli, &  
 hæc nomina eor-

A Nebaioth Na-  
 bathea regio nun-  
 cupata est, in qua  
 ingratitude erga pa-  
 rentes & præcepto-  
 res capitalis fuit.

\*Kedar pars Ara-  
 biæ Petrææ. Nam  
 reliquam tenuerunt  
 Edomitæ.

rum per villas & oppida eorum, duo-  
 decim principes tribuum suarum. Hi  
 vero sunt anni vitæ Ismaël, centum an-  
 ni, triginta anni, & septem anni, & de-

ficiens mortuus est, & collectus ad populum suum. Habitauerunt autem ab Heuila vsque ad Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyriam, coram cunctis fratribus suis corruit.

Hæ vero sunt generationes Isaac filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Fuit autem Isaac filius quadraginta annorum, cum acciperet Rebeccam filiam Bethuel Syri de Mesopotamia sororem Laban Syri, sibi in vxorem. Et orauit Isaac pro vx-

Effectus precationis.

ore sua, nam illa erit sterilis, & exoratus est ab eo **DOMINVS**, concepitque Rebecca vxor eius. Sed collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait, si sic, quid ego! Perrexit-

que Rebecca vt cõfuleret **DOMINVM**.

Rebecca consultuit Dominum per Melchisedec.

Et dixit **DOMINVS**

adeam, Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.

Prædictio, cuius euentus recitatur in libris Regum & Paralipomenon.

Postquam igitur impleti sunt dies

eius

eius vt pareret, Ecce gemini in vtero eius, Qui prius egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hirsutus, & vocauerunt nomen eius Esau. Post hunc statim egressus est frater eius, cuius manus apprehendebat plantam Esau, & iccirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac,

*Diuersa studia fratrum.*

cum illi nasceretur, quib. adultis factus est Esau vir peritus venandi & vir campi, Iacob autem vir integer habitabat in tabernaculis. Et

*Tabernaculis, scilicet non modo patris Isaac, sed etiam aui Abraham, Sem, Eber, & aliorum patrum, qui adhuc erant superstites.*

dilexit Isaac Esau eò quod de venationibus illius vesceretur, Rebecca vero diligebat Iacob.

Coxit autem Iacob coctionem, & veniebat Esau de campo, & erat fessus, Et dixit ad Iacob, ciba me quaeso, de rufo, de rufo isto, quia fessus sum, & hinc vocatum est nomen eius Edom.

Dixit autem Iacob, Vende hoc die mihi primogenituram tuam. Dixit Esau, En ego vado vt moriar, & ad quid mihi primogenitura? Respondit Iacob,



cob, Iura mihi hoc die, & iurauit ei, vendiditq; primogenituram suam ipsi Iacob. Porro Iacob dedit Esau panem, & coctionem lentium, & ille comedit atq; bibit, & surgens abiit, nec magnificavit Esau primogenituram.

## CAPVT XXVI.

### Argumentum.

*IN HOC capite tres loci potissimum considerentur. PRIMVS de miranda gubernatione & defensione Ecclesie. Abraham, Isaac & Iacob ut priuati & hospites vagantur sine certis humanis presidij, & Ecclesiam ex Cananeis & Aegyptijs colligunt. Etsi autem ingentibus erumnis exercentur: tamen diuinitus & defendi se & liberari experiuntur. Hec scripta sunt, ut his confirmati exemplis sentiamus & nobis sic velle Deum optulari. SECVNDVS locus est dulcissima concio de bonis corporalibus. SEMINAVIT Isaac in terra illa, que reddidit ei centuplum, benedixitq; ei Dominus & locupletatus est. Hec concio diserte affirmat bona corpori necessaria Deo curæ esse, nec cæca manu fortune inter homines spargi, sed esse Dei dona, ut*

*Salo-*

Salomon inquit, *Benedictio Domini diuites facit.* TERTIVS locus est imago certaminis inter veram Ecclesiam & hereticos. Fontes de quibus pastores dimicant sunt scripta prophetica & apostolica, ut Psalmo 68. dicitur, *Benedicite Domino Deo de fontibus Israël,* & Psalmo 84. *Qui transit per vallem lachrymarum & fodit fontem, certe benedictionibus coronabitur doctor.* Palestini sunt heretici corrumpentes doctrinam diuinitus traditam. Cum his dimicant pastores Isaac, id est, ministri verae Ecclesiae eicientes caenum & venena ex fontibus, quos illi obstruere & obturare conantur.

## T E X T V S.

**O**Rta est autem fames in terra, præter famem priorem, quæ fuit in diebus Abraham, & abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerar. Apparuitque **D O M I N V S** ei & ait, Non descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quã

Peregrinatio Isaac imago Ecclesiae exulantis in mundo,

Gerar vrbs sita in regione, quam postea occupauit tribus Iuda, non procul ab Hebron. Et quidem sita fuit inter Hebron & Gazam.

K 4

dixero

dixero tibi. Peregrinare in terra ista,  
& ego ero tecum, & benedicam tibi.  
Nam tibi & semini  
tuo dabo omnes ter- Promissio certæ  
sedis.  
ras istas, & confir-

mabo iuramentum quod iuravi Abra-  
ham patri tuo. Et multiplicabo semen  
tuum, sicut stellas cœli, & dabo semini  
tuo omnes terras  
istas, & BENEDI- Repetitio promif-  
sionis de Messia.  
CENTVR IN SE-

MINE TVO OMNES GENTES TER-  
RAE, Eò quod obedierit Abraham  
voci meæ, & custodierit obseruantiam  
meam, & mandata mea, & statuta mea,  
& leges meas. Sedit itaq; Isaac in Ge-  
rar. Et cum eum interrogarent viri  
illius loci de vxore

sua, respondit, So- Exemplum infir-  
mitatis sanctorum.  
ror mea est, timens

dicere, vxor mea est, ne forte occidant  
me viri loci huius, propter Rebeccam,  
quæ pulchro erat aspectu. Factum est  
autem cum aliquandiu in eo loco mo-  
raretur, vt prospiceret Abimelech rex  
Palæstinorum per fenestram, & vide-  
ret Isaac iocantem cum Rebecca vxo-  
re sua. Et vocauit Abimelech Isaac,  
dixit-

dixitque, En ipsa vxor tua est, & cur dixisti, soror mea est? Respondit Isaac, quoniam dixi, ne forte moriar propter ipsam. Ait Abimelech, Cur id fecisti nobis? Parum abfuit, quin vnus de populo dormiuisset cum vxore tua, & induxisses super nos grande peccatum.

Præcepit itaque Abimelech omni populo dicens, Qui tetigerit virum illum & vxorem eius, morte

Isaac edicto regis Abimelech defenditur & benedictione diuina ditatur.

morietur. Seminavit autem Isaac in terra illa, & inuenit in illo anno centum modios, benedixitque ei D O M I N U S. Et creuit vir ille, & eundo profecit, atque erectus est, donec magnus vehementer effectus est, habuitque possessionem ouium, & armentorum, & familiæ magnam. Propter hoc inuidebant ei Palæstini. Nam omnes puteos, quos foderant serui

patris eius, in diebus Abraham, obstruxerunt implentes humo, adeo vt ipse Abimelech diceret ad Isaac, Re-

Vices tentationum & consolationum.

Basiliius in quadam epistola: Vos vero o mihi charissima & iucundissima capita, obseruate

K 5 cede

cede à \* nobis, quoniam potentior factus es nobis vehementer. Abijt igitur inde Isaac, & castrametatus est in torrente Gerar, habitauitque ibi. Et rursus fodit puteos aquarum, quos foderunt in diebus Abraham patris sui, & quos illo mortuo obstruxerunt Palæstini, vocauitque eos iisdem nominibus, quibus pater vocauerat.

Foderuntque serui Isaac iuxta torrentem, & repererunt ibi puteum aquarum viuentium. Et rixati sunt pastores Gerar cum pastoribus Isaac, dicentes, Nostra est aqua, vocatumque est nomen putei illius, Esek, propterea quod ibi iniuriam ei fecif-

Palæstinorum pastores, ne quis occulte vestros fontes obstruat, & puram doctrinam de fide obturet. In hoc enim omni cura & cogitatione incumbunt, non vt simplicioribus animis tradant doctrinam diuinis scripturis consentaneam, sed vt veritatem sapientia externa oppugnent.

\*Exemplum aulicæ beneuolentiæ erga peregrinos & exules.

Gens Philistinorum adeo fuit potens, vt toti regioni Iudææ ab Aegypto vsque ad Phœniciam nomen dederit Palæstinae. Saepè enim regionibus nomina tribuuntur a parte aliqua, quæ vicinis antecellit potentia.



fecissent. Et foderunt puteum alium, & pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Sitna. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, Itaque vocavit nomen eius Rehoboth, & ait, Nunc dilatauit nos D O M I N V S, & fecit crescere in terra. Et ascendit inde Beerseba.

Et apparuit ei D O M I N V S in ipsa nocte & dixit, Ego sum D O M I N V S Deus Abraham patris tui, ne timeas, quoniam ego tecum sum, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque edificauit altare ibi, & vocauit in nomine D O M I N I, extendit quoque tabernaculum suum, & foderunt serui Isaac ibi puteum.

Deus est Deus uiuorum:

Deus est Deus Abraham:

Ergo Abraham uiuit.

Venit autem ad eum Abimelech de Gerar, & Ahufath amicus eius, atque Phichol princeps exercitus eius. Et dixit Isaac ad eos, quare venistis ad me, cum vos oderitis me, & eieceritis me a vobis? Qui responderunt,

Prouerb. 16. Cum placuerint Deo uia hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem.

derunt, Videndo vidimus, tecum esse  
 D O M I N U M, & iccirco nunc diximus,  
 Sit nunc iuramentum inter nos & in-  
 ter te, & percutiemus fœdus tecum, vt  
 non facias malum nobis, sicut & nos  
 te non attigimus, & sicut non fecimus  
 tibi nisi bonum, & in pace te dimisi-  
 mus. Tu autem nunc es benedictus à  
 D O M I N O. Fecit ergo eis conuiuium,  
 & comederunt &  
 biberunt. Et mane  
 confurgentes iura-  
 uerunt sibi mutuo,  
 dimisitq; eos Isaac,  
 & illi recesserunt ab eo in pace.

Speciosius inu-  
 rix beneficiis vin-  
 cuntur, quam mur-  
 tui odii pertinacia  
 pensantur.

Ecce autem venerunt in ipso die ser-  
 ui Isaac, annunciantes ei de puteo,  
 quem foderant, dixeruntq; ei: Inueni-  
 mus aquam. Et vocauit illum Sibeah.  
 Et hinc est nomen Beërseba vsque in  
 præsentem diem.

Esau vero quadragenarius duxit  
 vxorem nomine Iehudith, filiam Beëri  
 Hethæi, & Basmath filiam Elon He-  
 thæi, quæ ambæ fuerunt amaritudo  
 spiritus ipsi Isaac & Rebecca.

## CAPVT XXVII.

## Argumentum.

TOTVM caput ad locum de Ecclesia pertinet, quæ non est alligata ad ullam prerogatiuam humanam, sed tantum ad vocationem & verbum Dei. Hac sententia confirmandi sunt animi, ne vincantur clamoribus aduersariorum de ordinaria successione, quam homines politici magnifaciunt. Est & naturale dissidium inter veram Ecclesiam & cœtum hypocritarum. Ut enim Esau persequebatur fratrem Iacob: sic omnium temporum hypocrite inde vsq; à Cain cupiunt delere custodes puræ doctrine.

## T E X T V S.

**F**Actumq; est cum senuisset Isaac, & caligassent oculi eius, & videre non posset, vocauit Esau filium suum maiorem, dixitq; ad eum, Fili mi, qui ait illi, Ecce ego, Et dixit, En ego iam senui, & nescio diem mortis meæ. Et nunc tolle quæso arma tua, pharetram tu-

Mors propter incertos casus quotidie imminet, & propter breuitatem vitam &

am & arcum tuum, te nunquam potest  
& egredere in cam- longe abesse.  
pum vt venêris mihi venationem. Et  
fac mihi cibos quos appeto, & affer  
mihi vt comedam, & benedicat tibi ani-  
ma mea priusquam moriar.

Rebecca vero audiuit loqui Isaac  
cum Esau filio suo, abijtq; in campum  
vt captam venationem adduceret. Et  
dixit Rebecca ad Iacob filium suum,  
Ecce audiui patrem tuum loquentem  
cum Esau fratre tuo, atq; dicentem,  
Affer mihi de venatione tua, & fac mi-  
hi cibos, vt comedam & benedicam ti-  
bi coram DOMINO antequam mori-  
ar. Et nunc fili mi audi vocem meam  
in his quæ mandauero tibi, Vade qua-  
so ad gregem, & affer mihi duos hœ-  
dos optimos, vt faciam ex eis cibos pa-  
tri tuo, quibus libenter vescitur, & tu  
inferes ad patrem tuum, vt comedat &  
benedicat tibi ante suam mortem. Di-  
xitq; Iacob ad Rebeccam matrem su-  
am, En Esau frater meus vir est pilosus,  
ego vero vir lenis, Fortasse attrectabit  
me pater meus, & putabit me sibi vo-  
luisse illudere, & inducam super me ma-  
ledictionem, & non benedictionem.

Ad quem dixit ma-  
ter sua: Super me sit  
maledictio ista fili  
mi, tantum audi vo-  
cem meam, & vade,

Fides Rebeccæ  
non dubitantis de  
certitudine oraculi,  
Maior seruiet mi-  
nori.

& tolle mihi. Abijt itaq; & tulit, addu-  
xitq; ad matrem suam, & parauit illa  
cibos, sicut velle nouerat patrem illius.  
Tulit quoq; Rebecca vestimenta Esau  
filij sui maioris preciosa, quæ apud se  
habebat domi, & induit Iacob filium  
suum minorem. Sed & hædorum pel-  
liculis induit manus eius atq; mollici-  
em colli eius, tradiditq; cibos & pa-  
nem, quos parauerat in manum Iacob  
filij sui. Et ingressus est ad patrem &  
dixit, Pater mi, Qui respondit, Ecce  
ego, quis es tu fili mi? Et dixit Iacob  
ad patrem suum, Ego sum Esau primo-  
genitus tuus, feci sicut locutus es ad  
me, surge, sede, & comede de venatio-  
ne mea, vt benedicat mihi anima tua.  
Et respondit Isaac filio suo, quomodo  
tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui  
ait, D O M I N V S Deus tuus fecit oc-  
currere ante faciem meam.

Dixitq; Isaac ad Iacob, accede quæ-  
so, vt tangam te fili mi, num tu sis filius  
meus



meus Esau, an non / Et accessit Iacob ad Isaac patrem suum, & contrectato eo dixit Isaac, Vox ipsa, vox Iacob, & manus illæ manus Esau. Et non cognouit eum, quia ma-

Quod Deus decreuit, non potest ab hominibus mutari.

nus eius erant sicut manus Esau fratris sui pilosæ, & benedixit eum. Dixitq; Es tu filius meus Esau? Respondit, Ego sum, Ait ille, Affer mihi cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea, obtulitq; ei & comedit, obtulit ei etiam vinum, & bibit. Et dixit ad eum Isaac pater suus, Accede quæso & osculare me fili mi. Et accessit & osculatus est eum. Et ille odoratus est fragrantiam vestimentorum eius, benedixitque eum & ait, Ecce odor filij mei, sicut odor agri, quem benedixit **DOMINVS.**

Cicero 3. de Oratore: Meliora sunt vnguenta quæ terram quam quæ crocum olent. Hoc dictum enarrans Plinius lib. 17. cap. 5. inquit, Cicero lux doctrinarum, Altera meliora, inquit, vnguenta sunt, quæ terram quam quæ crocum olent. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille qui quæritur, in quo loco arcus cœlestis capita sua deiecerit, & cum a siccitate conti-

continua inmaduerit imbre, tunc emittit illum suum halitum diuinum ex Sole conceptum, cui comparari suauitas nulla potest.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, & abundantiam frumenti atq; musti. Seruiant tibi populi, & incuruent se tibi nationes. Sis dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Maledicens tibi sit maledictus, & benedicens tibi benedictus.

Hæc benedictio complectitur bonam œconomiam, politicam & Ecclesiasticam. Nam primogeniti erant reges & sacerdotes in sua familia.

Factum est autem cum Isaac cessasset benedicere Iacob, & egressus esset Iacob foras à facie Isaac patris sui, venit Esau frater eius de venatione sua. Et fecit quoq; ipse cibos, & intulit ad patrem suum, dixitq; ei, Surgat pater meus & comedat de venatione filij sui, vt benedicat mihi anima tua. Et dixit illi Isaac pater suus, Quis es tu? Ait ille, Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Et expanit Isaac pauore magno valde, & ait, Quis ille, & vbi est ille? qui cepit venationem & attulit mihi, & ego comedi ex omnibus priusquam tu

L

veni-

venires, & benedixi ei, eritq; benedictus. Cum autem Esau audiret verba patris sui, irrugijt clamore magno, & vehementer confter natus est, dixitq; patri suo, Benedic etiam mihi mi pater, Qui ait, Venit frater tuus cum dolo, & surripuit benedictionem tuam. Et dixit (*Esau*) Vere vocatum est nomen eius Iacob. Nam supplantavit me iam duabus vicibus, primogenituram meam tulit, & ecce nunc quoq; accepit benedictionem meam. Et ait, Nunquid referuasti & mihi benedictionem? Respondit Isaac, & dixit ad Esau, Posui tibi illum in dominum, & omnes fratres eius constitui illi in seruos, Frumento & vino stabiliui eum, & tibi iam quid faciam fili mi? Dixit vero Esau ad patrem suum, Num vnam tantum

EBRAOS 12. Nemo sit fornicator aut prophanus, sicut Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenituram suam. Scitote enim, quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit poenitentiae locum, quam cum lachrymis inquisisset eam. Hic locus non patrocinator Nouatianis, sed discernit veram poenitentiam ab hypocrisi, quam vulgo vocant poenitentiam non culpae sed poenae.

tantum benedictionem habes mi pater? Benedic etiam mihi mi pater. Et leuans vocem suā fleuit. Respondit ei Isaac pater suus, & dixit, Ecce vbertates terræ habitatio tua erit, & de rore cœli desuper. In gladio tuo viues, & fratri tuo seruias, eritque quando dominaberis, & rumpes iugum eius de collo tuo.

Prædictio de vicissitudine seruitutis & defectionis Idumæorum. Etsi enim David in Idumæam extendit calceamentum suum, vt Psalmus 60. loquitur, tamen post mortem Salomonis Idumæi duce Adad, vt scribitur 3. Reg. 11. à regibus Iuda defecerunt. Sed Ioannes Hircanus Idumæos domitos coëgit circumcisionem & alios ritus Iudaicos amplecti, ex qua gente postea Herodes ortus voluit pro Iudæo haberi. Hæc consonantia prædictionum & euentuum illustre testimonium est & prouidentie diuinæ, & certitudinis doctrinæ, quam Ecclesia amplectitur & profitetur.

Oderat itaque Esau Iacob propter benedictionem, qua benedixit eum pater eius, dixitque Esau in corde suo, appropinquabunt dies luctus patris mei & occidam Iacob fratrem meum.

Nunciata vero sunt Rebeccæ verba Esau filij sui maioris, &

Esau imago crudelium hypocritarum, qui ad faciendam iniuriam instructi sunt.

ris, & mittens vocauit Iacob filium suum minorem, dixitq; ad eum, Ecce Esau frater tuus consolatur se de te, vt occidat te. Nunc igitur fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, manebisq; cum eo diebus paucis, donec auersus fuerit furor fratris tui, donec auertatur furor fratris tui à te, & obliuiscatur eorum, quæ fecisti ei, & ego postea mittam, & assumam te inde. quare orbabor vtroq; vestrum vno die!

Et dixit Rebecca ad Isaac, Tedet me vita meæ propter filias Heth, Si acciperit Iacob vxorem de filiabus Heth, vt sunt istæ de filiabus huius terræ, ad quid mihi vita?

Et si Iacob multos habet hostes: tamen infestissimus est frater Esau, qui natura ei proximus est, & disciplina paterna ad eandem professionem de Deo, ad eandem invocationem, & ad omnium virtutum officia institutus.

Non solum prudentia, sed etiam virtus est, mollissimas causas odiosi negotii cum quadam verecundiæ specie excogitare.

Multa accidunt homini in hoc breui & exiguo vitæ curriculo, ipsa morte acerbiora.



## CAPVT XXVIII.

## Argumentum.

*C*UM Iacob in campo Samariae defatigatus non solum labore itineris, sed etiam cogitatione exilij sui & arumnarum Ecclesie, nocte somno oppressus esset, vidit scalam stantem in terra, & cacumine caelum attingentem, & in scala angelos ascendentes & descendentes, & Dominum stantem in scala fastigio, & promissiones amplissimas edentem, Ego sum Dominus Deus Abraham, Ero custos tuus, & reducam te. Experrectus igitur sensit diuinos motus, & Deo gratias agit, agnoscit hunc ipsum locum fore Ecclesie hospitium, & oppidum quod antea ab arbore Amygdalo nomen habebat Luz, mutato nomine nuncupauit domum Dei & portam caeli. In hac narratione primum consideretur admiranda patefactio Dei, qua testatur hunc vere esse Deum qui se patefecit Abramo, Isaac & Iacob. Deinde obseruetur amplissima promissio tradita Iacob non solum de benedictione posteritatis & de Christo, sed etiam de gubernatione & defensione Ecclesie. Sustinet enim hoc membrum personam totius corporis. Postremo sit in conspectu dulcissima

*imago Christi & Ecclesia, quæ de multis magnis rebus pios admonet, videlicet, quod per solum Messiam sit aditus ad æternum patrem, & quod hæc personæ sit Deus & homo, & quod ascendere nos primum, & à Deo reconciliationem & dona accipere oporteat, & deinde ea proferre & exercere, ut Deus celebretur & beneficia filij Dei innotescant, sicut Petrus inquit, nos vocatos esse, ut enarremus virtutes eius, qui nos in admirandum lumen vocauit.*

## T E X T V S.

**V**Ocauit itaq; Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitq; ei & dixit ad eum, Noli accipere vxorem de filiabus Chanaan. Surge vade in Mesopotamiam, ad domum Bethuel aui tui materni, & sume inde tibi vxorem de filiabus Laban auunculi tui. **DEVS** autem omnipotens benedicat tibi, & faciat vt crescas, atq; multiplicet te, vt sis in congregationem populorum. Et det tibi benedictionem Abraham, tibi & femini tuo tecum, vt possideas terram peregrin-

Repetitio benedictionis est confirmatio certitudinis & assensionis.

peregrinationis tuæ, quam dedit Deus Abraham. Dimisit itaq; Isaac Jacob ad Laban filium Bethuel Syri, fratrem Rebeccæ, matris Jacob & Esau.

In hanc imaginem Jacob intuentes consolemur nos contra scandalum crucis, nec putemus Ecclesiam a Deo deseri, etiamsi multis

arumnis premitur. Etsi enim Jacob habet benedictionem: tamen proficiscitur in exilium metu fraternæ crudelitatis, & Esau interea dominatur tumidus & spiritus altos gerit.

Videns autem Esau, quod benedixisset Isaac Jacob, & quod misisset eum in Mesopotamiam, ut inde uxorem duceret, atq; præcepisset ei, cum benediceret eum, dicens, Non accipies uxorem de filiabus Chanaan, & quod Jacob obedisset patri

Exemplum obedientiæ filialis erga parentes.

Exemplum obedientiæ filialis erga parentes. suo, & matri suæ, & abijisset in Mesopotamiam, Videns etiam Esau quod non libenter aspiceret filias Canaan pater suus, iuit ad Ismaëlem, & accepit Mahalath filiam Ismaëlis filij Abraham sororem Nebaioth, super uxores suas sibi in uxorem.

Egressus itaq; est Jacob de Beërseba, Habitabat Isaac senex in eo tractu,

vt veniret in Haran. Et cum venisset ad locū quendam, pernoctauit ibi, Nam occiderat Sol. Et tollens de lapidibus illius loci, posuit pro capitis sui cernicali, dormiuitque in loco illo. Et habuit \* somnium, & ecce scala erat posita in terra, cuius culmen pertingebat vsq; ad cælū, † & ecce angeli Dei ascende-  
bant & descende-  
bant per eam, &  
D O M I N V S innite-  
batur scalæ, dixitq;  
Ego D O M I N V S  
Deus Abraham pa-  
tris tui & Deus Isa-  
ac, terram super quā  
tu dormis, tibi dabo  
& semini tuo, Eritq;  
semen tuū sicut pul-  
uis terræ.

qui postea fuit sedes  
tribus Iuda, prope  
Hebron, Inde pro-  
ficiscens Iacob ver-  
sus Septentrionem  
& Occasum, venit  
ad locum, vbi postea  
Samaria fuit, quæ  
distabat octo nostris  
miliaribus a Ieroso-  
lyma. Fuitque amœ-  
nissima pars totius  
Palaestinae, quam  
postea tribus Ephra-  
im possedit.

\* Augustinus Ser-  
mone 40. de verbis  
Domini: Somnium  
hominis non scribe-  
retur, nisi magnum  
aliquid in eo figu-  
raretur mysterium,  
& magnum aliquid  
prophetatum in illa  
visione intelligere-  
tur.

† Hæc est dulcis  
descriptio Messie &  
Ecclesie. Scala est  
ipse Christus cacu-  
mine tangens cœ-  
lum, quia est in eo  
natura diuina. Ideo  
diserte dicitur Deus  
innixus fuisse scalæ.  
Con-

Consistit autem in terra, quia λογος assumptis humanam naturam obnoxiam doloribus & morti. Sed hæc scala tamen coniungit cælum & terram, id est, Deum & Ecclesiam. Quod vero in hac scala ascendunt & descendunt angeli, significat Christum ipsum gestare Ecclesiam, & perducere ad æternum patrem. Porro angeli significant totam Ecclesiam, ac præcipue doctores qui primum ascendunt, postea descendunt. Debemus enim singuli prius ascendere, id est, quærere reconciliationem cum Deo, & ab eo accipere dona propter filium. Postea vero descendere & impertiri hæc dona aliis, doctrinam, gubernationem & ministeria iuxta vocattonem. Hæc dulcissima imago Christi & Ecclesiæ, quam Deus ipse proposuit, ostensa scala Iacob, semper in conspectu habenda est, cum de multis magnis rebus nos admoneat.

Et tu dispergeris vsq; ad mare Occidentale, & ad Orientem, ad Septentrionem & Meridiem, & BENEDICENTVR IN TE ET IN SEMINE TVO cunctæ tribus terræ. Et ecce ego tecum sum, & custodiam te quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc, neq; deseram te donec fecero quæ locutus sum ad te.

Hanc promissionem ad nos etiam accommodemus, & hæc sit ancora qua nos sustentemus inter fluctus & procelas vndique quassantes nostram nauim.

Intueatur mens hanc promissionem, & fide eam amplexa dicat, In te Domine speraui, non confundar in æternū.



Euigilauit autem Iacob de somno suo, & ait, Vere DOMINVS est in loco isto, & ego nesciebam. Timuit igitur & dixit, quàm terribilis est locus iste, non est hic ali-

ud nisi domus Dei,

& hic est porta cœli.

Consurgens igitur

Iacob mane, tulit lapidem quem posuerat pro cervicali capitis sui, & posuit illum in statuam, ef-

fundens oleum super caput eius, Et vocauit nomen loci

illius Bethel, quæ prius Luz vocaba-

tur.

domus sceleris. Hoc templum in quo iam Deus ipse concionatur, & hæc porta cœli, vt nominat Iacob, cepit esse antrum Diabolorum, quia multis sceleribus posteritas Deum gubernatorem excussit. Nam Ieroboam ibi collocauit vitulum aureum, & sacrificia impia instituit, & postea Samaritani ibi Ethnicos ritus obseruarunt. Sed discamus, non loco, non titulis alligaram esse Ecclesiam. Porro Bethel antea Luz, id est, amygdala nuncupata est.

Ecclesia fuit etiam cum nondum esset templum, nec cultus verus est obseruare ritus templi, sed credere Dei promissionibus de Messia, & hac fide eum inuocare, Act. 7.

Post Salomonem hæc domus Dei Bethel horribiliter prophanata est, & facta est Bethauen, id est,

Vouit quoque Iacob votum dicens,  
Si fue-

Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via ista, quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere ad domum patris mei, erit

mihi D O M I N U S in Deum, & lapis iste quem erexi in statuam, erit domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

In hoc dicto conditionalis non significat mercedem, sed possibilitatem & modum, id est, si viuam, in hoc loco congregabo Ecclesiam ad sacrificium & ad concionem iuxta illud, Non mortui laudabunt te Domine.

## C A P V T XXIX.

### Argumentum.

*HISTORIA* huius capituli confirmat & illustrat regulam de dignitate œconomica & politica vite, & refutat superstitiones hypocritarum, qui damnant coniugium & ordinem politicum: Et concessum est Christianis facere œconomica & politica officia, & necesse est eos iuxta vocationem illis officijs seruire civili vite, & cum pijs præstant ea officia, ut Deo obediant, placent illa Deo, & sunt cultus Dei,

*Dei, & complectuntur multas magnas virtutes, videlicet obedientiam erga Deum, confessionem, inuocationem & dilectionem proximi.*

## T E X T V S.

**L**euauit itaq; Iacob pedes suos, & peruenit in terram filiorum Orientis. Et vidit, & ecce puteus in campo, iuxta quem accumbebant tres greges ouium. Nam ex puteo illo potum dabant gregibus illis, & erat lapis magnus super os putei. Mosque erat ut cunctis ouibus congregatis, denoluerent lapidem, potarentq; oues, & reducerent lapidem super os putei in locum suum. Dixitq; ad eos Iacob, Fratres mei vnde estis? Qui responderunt, de Haran sumus. Et dixit ad eos, Nunquid nostis Laban filium Nahor? Dixerunt, Nouimus, Dixit rursus ad eos, Nunquid est illi pax? Responderunt, Pax. Et ecce Rachel filia eius aduenit cū grege. Dixitq; Iacob, Est adhuc alta dies, nec est tempus ut

Pax Ebraico more prorsus usurpatur sicut apud nos Salsus, & significat successus in vocatione, & in omnibus partibus vitæ.

redu-

reducantur ad caulas greges, potate  
 oues & ite, pascite, Qui responderunt,  
 Non possumus donec congregentur  
 omnes greges, & amoueamus lapidem  
 de ore putei, vt potemus oues.

Adhuc ipse loquebatur cum eis, &  
 Rachel veniebat cum ouibus patris sui,  
 nam gregem ipsa pascebat. Cum au-  
 tem vidisset Iacob Rachelem filiam La-  
 ban auunculi sui, & oues Laban auun-  
 culi sui, accessit ipse Iacob, & reuoluit  
 lapidem ab ore putei, & potum dedit  
 gregi Laban auunculi sui. Osculatus  
 quoq; est Iacob Rachelem & leuans  
 vocem suam fleuit, & indicauit ei quod  
 frater esset patris sui & filius Rebecce,  
 vnde illa cucurrit, & nunciauit patri  
 suo. Factumq; est cum audisset Laban  
 rumorem de Iacob filio sororis suæ,  
 occurrit obuiam ei, & amplexatus est  
 eum atq; osculatus, & introduxit eum  
 in domum suam, & ille narrauit ipsi La-  
 ban omnia verba  
 ista. Ad quem La-  
 ban ait, Vtrique os  
 meum, & caro mea  
 es tu, & mansit cum  
 eo per dies mensis.

Verba, s. de causis  
 sui exilii.

Exemplum blan-  
 dilloquentiæ hypo-  
 critarum, qui initio  
 præbent melleu gu-

Dixit

Dixit vero Laban ad Iacob, Num quia frater meus es, ser-

stum, & hunc paulo post infuso aceto corrumpunt.

uies mihi gratis, indica mihi mercedem tuam. Habebat vero Laban duas filias, nomen maioris erat Lea, minoris vero nomen Rachel. Porro oculi Leæ erant teneri, Rachel vero præstabat forma & erat pulchro aspectu. Dilexitq; Iacob Rachelem, & ait, Seruiam tibi septem annis pro Rachele filia tua minore. Respondit Laban, Melius est vt eam tibi dem, quàm alteri viro, mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachele septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Et ait Iacob ad Laban, Da mihi vxorem meam, quoniam impleti sunt dies mei, & ingrediar ad illam. Et congregauit Laban omnes homines illius loci, fecitq; conuiuium. Et ecce vespere tulit Leam filiam suam, introduxitq; eam ad illum, & ingressus est ad eam. Dedit quoq; Laban Leæ filia suæ Zilpam ancillam suam in famulam. Factumque est illucescente die, & ecce ea erat Lea. Et dixit ad Laban, Cur hoc mihi fecisti?

Iacob non est vsus summo iure, cum ei Nonne



Nonne pro Rachele tradita est Lea pro  
 seruiui tibi? Quare Rachel. Poterat e-  
 imposuisti mihi? Re nim dissoluere con-  
 spōdit Laban, Non iugium propter do-  
 sic fit in loco no- lum seu errorem de  
 stro, vt tradatur iunior ante maiorem.  
 persona.

Imple hebdomadam istius, & dabitur  
 quoq; tibi ista pro seruitute, qua serui-  
 es mihi adhuc septem annis alijs. Fecit  
 itaq; Jacob sic, & impleuit septenari-  
 um, & tradidit sibi Rachelem filiam su-  
 am in vxorem. Dedit quoque Laban  
 Racheli filiaē suā Billam ancillam suam  
 illi in famulam. Et ingressus est quoq;  
 ad Rachelem, & dilexit Rachelem plus  
 quam Leam, seruiuitq; illi adhuc se-  
 ptem alijs annis. Et videns Deus quod  
 odio haberetur Lea,

Psal. 113. Deus  
 aperuit matricem e- humilia respicit in  
 ius, mansitq; Rachel celo & in terra.

sterilis. Concepit autem Lea, & pepe-  
 rit filium, vocauitq; nomen eius Ruben.  
 Dixit enim, Vidit D E V S afflictionem  
 meam, Nunc igitur diliget me vir me-  
 us. Et rursus concipiens peperit fili-  
 um, & ait, Quoniam audiuit D E V S,  
 quod odio habeor ego, & dedit mihi  
 quoq; istum, & vocauit nomen eius  
 Simeon,

Simeon. Concepit quoque adhuc & peperit filium dicens, Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, quoniam peperit ei tres filios, unde vocatum est nomen eius Levi. Quarto concepit & peperit filium, & ait, Modo confitebor DOMINO, & ob hoc vocavit nomen eius Iehuda, cessavitque parere.

Lyra pie distinguit quatuor tentationes Lex. A Rachele fuit contempta, A marito neglecta, A vicinis & familia pro aliena & extranea habitata, postremo a Deo abiecta. Sed his quatuor tentationibus Deus opponit quatuor consolationes. Primum contra despectum Rachelis respicit humilitatem eius. Secundo, quia adhuc negligebatur a marito, audit preces ipsius. Tertio, ne videatur aliena & prorsus exclusa, dat Deus ut iungatur & adhaereat ei maritus. Quarto triumphat victrix contra omnes tentationes, non iam amplius despecta & contempta, sed laudans Deum & gratias agens. Hæc congruunt ad dictum Psalmi 94. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Et 1. Cor. 1. Vbi abundat afflictio, ibi abundat consolatio.

## CAPVT XXX.

Argumentum.

O M-

OMNIA iudicant homines aut regulis aut exemplis. Videndum est igitur quae exempla sint probata, nec propter exempla discedendum est ab expresso verbo Dei. Renovat autem nos vox divina ad primam & pulcherrimam coniunctionem unius maris & unius feminae sancitae in paradiso. Quare discamus virtutes patrum imitari congruentes cum mandatis Dei, nec disputemus de exemplo Iacob, quem vel ignorantia excusat, vel aliqua divina revelatio.

T E X T V S.

CERNENS vero Rachel, quod Aemulatio inter sorores.  
 non pareret ipsi Iacob, invidit sorori suae, dixitque ad Iacob, Da mihi filios, Et si non, morior ego. Et effervuit ira Iacob in Rachelem, dixitque, Num pro Deo ego sum, qui Nuptiae non dant priuavit te fructu liberos, sed qui nuptiis legem dedit ventris tui. Deus, Theodoretus.

Quae ait, Ecce ancilla mea Bilha, ingredi ad eam, & pariet super genua mea, ut & ego aedificer ex ea. Dedit itaque ei Bilham ancillam suam in uxorem, & ingressus est  
 M ad eam

ad eam Iacob. Concipiens vero Bilha peperit ipsi Iacob filium, Et ait Rachel, Causam meam egit DEVS, & audiuit vocem meam, dans mihi filium, vnde vocauit nomen eius Dan. Rursumq; concipiens Bilha ancilla Rachelis peperit filium secundum ipsi Iacob. Et dixit Rachel, Permutationibus Dei permutatum est inter me & sororem meam, & ego præualui, vocauitq; nomen eius Naphthali. Et videns Lea, quod staret à pariendo, accepit Zilpam ancillam suam, deditq; eam Iacob in vxorem. Peperit itaq; Zilpa ancilla Leæ ipsi Iacob filium. Et ait Lea, Accinctus, vocauitq; nomen eius Gad. Peperit quoq; Zilpa ancilla Leæ filium secundum ipsi Iacob, dixitq; Lea, Cum beatitudine mea, beatam quippe me dicent filia, vocauitq; nomen eius Aser.

Egressus autem Ruben in dieb. messis triticeæ, inuenit Dudaim in agro, attulitq; illas ad Leam matrem suam, Dixitq; Rachel ad Leam, Da mihi quæso partem de Dudaim filij tui. Cui illa respondit, Parumne tibi videtur, quod præripueris meum maritum, nisi etiam Dudaim filij mei tuleris. Ait Rachel, dormi-

dormiat igitur tecum hac nocte pro Dudaim filij tui. Venit autem Iacob de agro ad vesperam, egressaq; est Lea in occursum eius & ait, Ad me intrabis, nam conducendo conduxisti me pro Dudaim filij mei, dormiuitq; cum ea nocte illa.

Exaudiuit vero Deus Leam, & concepit atq; peperit ipsi Iacob quintum filium, Dixitq; Lea, dedit Deus mercedem mihi, eò quod dederim ancillam meam marito meo, vocauitq; nomen eius Isaschar. Et rursus concipiens Lea peperit Iacob filium sextum. Et ait Lea, dotauit me Deus dote bona, hac vice cohabitabit mecum vir meus, eò quod pepererim ei sex filios, vocauitq; nomen eius Zebulon. Postea vero peperit filiam, vocauitq; nomen eius Dinam. Et recordatus est Deus Rachelis, exaudiuitq; eam, & aperuit matricem eius, quæ concepit & peperit filium dicens, Collegit Deus opprobrium meum, Vocauitq; nomen eius Ioseph, dicens, Addat mihi D O M I N U S filium alterum.

Sic Elisabeth mater Baptistæ Luca 1. inquit, Dominus me respexit, vt auferret probum meum inter homines.



Factum est autem cum peperisset Rachel Ioseph, vt diceret Iacob ad Laban, Dimitte me, vt vadam ad locum meum, & ad terram meam. Da mihi vxores meas, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam. Tu autem nosti seruitutem meam, quam seruiui tibi. Ait illi Laban, Inueniam gratiam in conspectu tuo, Auguror enim quod benedixerit mihi Deus propter te. Et ait, Nomina mercedem tuam, & tradam. Cui ille respondit, Tu nosti quomodo seruiuerim tibi, & quanta fuerit possessio tua apud me. Nam modicum illud quod tibi fuit ante me, auctum est in multum, benedixitq; tibi D O M I N V S ob ingressum meum. Et nunc quando curabo etiam ego domum meam!

Dixitq; Laban, quid dabo tibi? Respondit Iacob, Non dabis mihi quicquam, sed si feceris quod postulo, iterum pascam & custodiam oues tuas. Transibo hodie per omnes greges tuos, & separabo cunctas oues punctis notatas & maculosas, & omne pecus rufum in agnis, & maculosum atq; punctis distinctum in ca-

Merces Iacob pecudes maculosæ nate ex albis.

pris,

pris, idque erit merces mea. Et respon-  
 debit pro me iusti-  
 cia mea cras aut ho-  
 die, cum cedet mihi  
 merces mea coram

Iusticia mea, se-  
 particularis, quod  
 iuste mercedem po-  
 stulem.

facie tua. Et omne quod non fue-  
 rit varium aut maculosum aut nigrum,  
 tam in agnis quam capris, furtum hoc  
 esto apud me. Dixitque Laban, Age,  
 utinam fiat iuxta verbum tuum. Sepa-  
 ravit igitur eadem die hircos notis &  
 maculis resperfos omnesque capras pun-  
 ctis notatas & maculosas, omnes, in-  
 quam, in quibus albedinis aliquid erat.  
 Deinde quicquid erat nigrum in agnis,  
 & dedit eas sub manus filiorum suo-  
 rum. Posuit vero spacium itineris tri-  
 um dierum inter se & inter Iacob, qui  
 pascebat reliquos greges Laban.

Porro Iacob accepit virgas de popu-  
 lo viridi, & amygdalo & castanea, &  
 decorticavit eas, ut albedo appareret  
 denudans scilicet quod album erat in  
 virgis. Et posuit virgas quas decorti-  
 cavit in canales aquarum, ante oculos  
 ovium, ut ad potum venientes in aspe-  
 ctu earum conciperent. Concipiebant  
 itaque oves ante virgas, & pariebant di-

uerso colore asperfas, ac punctis & maculis notatas. Et separauit Iacob agnos, & posuit separatum gregem ad maculis resperfos & nigros agnos, in grege Laban. Et posuit sibi greges seorsim, non ad oues Laban. In omni igitur admissura ouium robustiorum posuit Iacob virgas in canales ante oculos ouium, vt in admissura coram virgis conciperent. In admissura autem debilium ouium, non ponebat. Ita debiliores erant ipsius Laban, robustiores vero Iacob. Aut usq; est vir ille valde nimis, vt esset ei magnus grex, ancillæ, serui, cameli & asini.

Grege, sc. quem pascebant filii Laban.

Oues, sc. quas ipse Iacob pascebat.

## CAPVT XXXI.

### Argumentum.

*IN HOC capite proponuntur due imagines, vna hypocrite crudelissimi, qui sine fine peccat, & est exemplum omnium scelerum, idolatrie, hypocrisis, auaritie, & profana securitatis. ALTERA optimi & sanctissimi viri,*

viri, qui viginti annos cum tali monstro confluctatus est. Obseruentur etiam in hoc capite dicta de prouidentia, quæ testantur Deum affici nostris ærumnis, nec dare in æternum fluctuationem iusto, sed velle sibi Ecclesiam seruare, & reuera exaudire inuocantes ipsum in agnitione & fiducia Domini nostri Iesu Christi, quem Iacob nominat timorem patris sui.

## T E X T V S.

**E**T audiuit verba Calumniæ filiorum Laban  
rum Laban.  
 dicentium, Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & ex his quæ patris nostri sunt, omnem istam gloriam parauit. Vidit quoque Iacob faciem Laban, animaduertitque eam non esse erga se, quemadmodum fuerat heri & nudiustertius. Et dixit **D O M I N V S** ad Iacob, Reuertere ad terram patrum tuorum, & ad cognationem tuam, Ego tecum ero. Misit igitur Iacob & accersiuit Rachelem & Leam in agrum ad gregem suum, Et dixit ad eas, Video ego faciem patris vestri non esse erga me, quemadmodum heri & nudiustertius. Veruntamen Deus patris mei fuit  
 M 4                      mecum.

mecum. Et vos quidem nostis, quod toto robore meo seruiui patri vestro. Pater autem vester dolo malo egit mecum, & immutauit mercedem meam decies. Sed non permisit Deus, vt noceret mihi. Quando sic dicebat, Quæ punctis respersæ sunt, sint merces tua, pariebant omnes oues fœtus punctis respersos. Quando vero dicebat, Ea quorum crura fuerint diuersis coloribus, erunt merces tua, omnes oues pariebant fœtus cruribus discoloribus. Eripuit igitur Deus peculium patri vestro, & mihi dedit. Et hoc quoq; factum est, tempore admissuræ ouium, sustuli oculos meos, vidiq;

Somnium Iacob.

per somnium, & ecce hirci ascendebant super pecora notis respersa, punctisq; notata & maculosa. Et dixit ad me angelus Dei in somno, Iacob, & respondi, Ecce ego, Et dixit, attolle oculos tuos & vide omnes hircos ascendentes super pecora varijs notis, punctis & maculis respersa, quia vidi omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, vbi vixisti

Psal. 10. Tu laborem & dolorem confideras, Tibi derelictus est pauper, lap-



lapidem, & votum pillo tu eris adiutor.  
 vouisti mihi. Nunc

igitur surge & egredere de terra hac,  
 & reuertere in terram cognationis tuæ.

Respondit vero Rachel & Lea, dicentes ad eum, Num pars aut hæreditas adhuc nobis est in domo patris nostri? An non extraneæ ab eo reputatæ sumus? Vendidit enim nos, deinde comedendo comedit pecuniam nostrâ. Ideo Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, & filijs nostris, & nunc omne quod dixit tibi Deus, fac. Surrexit autem Iacob & imposuit filios suos & vxores suas camelis. Eduxitq; omnes greges suos, & omnes facultates suas, quas in Mesopotamia acquisierat, vt veniret ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Laban autem abierrat ad tondendas  
 oues suas. Et furata  
 est Rachel idola patris sui.

Sunt quædam opera in genere cum præceptis Dei congruentia, sed in specie media, seu non

necessaria. Sic Rachel rapuit idola patri Laban, non fuit necesse auferre, sed monere satis erat, vt vitaret idolorum cultum. Irene filia Imperatoris Licinii euertit idola patris suis manibus, non necesse erat manu euertere, sed patrem admonere satis erat. Talia multa sunt o-

pera liberi spiritus in sanctis, quæ sunt testimonia confessionis & ardentis spiritus.

Et Iacob furatus est cor Laban Syri, eò quod non indicauit illi, quod fugeret. Fugit itaq; ipse

Furari cor, est irritam facere spem quamuis certã. Sic Iacob fefellit spem Laban.

& omnia, quæ illius erant, surrexitq;

& traiecit fluuium,

Fluuius, cuius hic fit mentio, est Euphrates diuidens Mesopotamiam a terra promissa.

ponens faciem suã

versus montem Gilead.

Nunciatum est

Laban die tertio,

quod fugeret Iacob.

Et accipiens fratres suos secum, persecutus est illum

itinere septem dierum, & comprehendit eum in monte Gilead, venitq;

Deus ad Laban Syrum noctu in somnis &

dixit ad eum, caue

ne quicquam aspere

loquaris cum Iacob.

Etsi Laban & deinde Esau conantur interficere Iacob:

tamen eorum voluntas diuinitus reprimitur.

Cum enim Deus sit liberrimum agens, sapissime

consilia & voluntates hominum flectit quo

vult sine causis secundis, vt Psalmo 76. dicitur,

Qui aufert spiritum principibus, terribilis est

regibus terræ.

Asssecutus est itaque Laban Iacob,

iamq; Iacob extenderat in monte taberna-

berna-

bernaculum. Sed & Laban cum fratribus suis tetendit tentoria sua in monte Gilead. Et ait Laban ad Iacob, Quid fecisti, quod furatus es cor meum, & abduxisti filias meas tanquam gladio captas, Cur me clam & inscio fugere voluisti? Et non potius mihi indicasti vt prosequer

rer te cum gaudio, cum canticis & tympanis & citharis. Nec passus es vt offenderer filios meos & filias meas, stulte equidem egisti. Et

Multis simulationum inuolueris tegitur vniuscuiusque natura, & quasi quibusdam velis obtenditur. Frons, vultus, oculi persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime.

valeret manus mea vobis malefacere, sed Deus patris vestri heri dixit mihi, Caue loquaris cum Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi dominus patris tui, Cur furatus es deos meos?

Iacob erat ab omni non modo facinore, verumetiam minimi errati suspicione remotissimus,

& tamen a Laban atrocissimis calumniis deformatur. Feramus igitur nos quoque quæ alii meliores tulerunt, & malimus multas obliuisci iniurias, quam imaginem & similitudinem conditoris amittere. Sciamus etiam perditum hominem profligatque maledictis nullius gloriam dignitatemque violari.

Respon-

Respondit Iacob  
& dixit ad Labā, Eò  
quod timui, cogita-  
uiq; te vi rapturum  
esse filias tuas mihi.

Iacob non certat  
conuiciis cum La-  
ban calumniatore,  
sed innocentiam su-  
am argumentis de-  
fendit.

Ceterum is, apud quem deos tuos in-  
ueneris, interficiatur coram fratribus  
nostris. Scrutare quicquid tuorum a-  
pud me est & aufer. Nesciebat autem  
Iacob quod Rachel eos esset furata. Et  
venit Laban in tabernaculum Iacob,  
& in tabernaculum Leæ, & in taber-  
naculum duarum ancillarum & non in-  
uenit. Egressusq; è tabernaculo Leæ  
venit in tabernaculum Rachelis. Porro  
Rachel simulachra illa acceperat & po-  
suerat ea subter stramenta cameli, &  
fedit super ea. Laban autem contrecta-  
bat totum tabernaculum & nihil inue-  
nit. Et dixit Rachel ad patrem suum,  
Ne irascatur dominus meus, quod non  
possum tibi assurgere, quia iuxta con-  
suetudinem fœminarum nunc mihi ac-  
cidit. Perscrutans itaq; non inuenit si-  
mulachra.

Et iratus est Ia-  
cob, rixatusque est  
cum Laban & ait:

In bona causa de-  
cet habere bonum  
animum.

Quæ

Quæ iniquitas, aut quod peccatum meum, ob quod sic exarsisti post me? Contrectasti omnia vasa mea, quid inuenisti ex omnibus vasis domus tuæ? Pone hîc coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te.

En viginti istis annis fui tecum, oues tuæ & capræ non

*Iacob exemplum fidelissimi serui.*

fuerunt steriles. Arietes gregis tui non comedi, A feris laceratum tibi non attuli, ego peccati illius reus eram, E manu mea requirebas, si quid vel interdium, vel noctu furto surreptum fuerat. Interdium consumpsit me æstus, noctu vero gelu, fugitq; somnus ab oculis meis. Sic viginti annis in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis, & immutasti mercedem meam iam decies. Nisi Deus pa-

tris mei, Deus Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, nunc quoq; vacuum me dimisisses. Sed afflictionem meam & laborem manuû mearum respexit Deus

*Filius Dei appellatur timor Isaac, quia omnes cultus in agnitione & fiducia Mediatoris præstitit.*

*Pfal. ii. Oculi eius aspiciunt, palpebræ eius probant filios hominum.*

& redar-



& redarguit heri. Respondit Laban & dixit ad Iacob, Filia ista, filia mea, & filij isti, filij mei, sed & greges isti, greges mei, & quicquid tu vides meum est, Filiabus istis meis quid faciam hodie, aut filijs eorū quos pepererunt! Nunc igitur veni & percutiamus fœdus ego & tu, quod sit in testimonium inter me & te. Tulit itaq; Iacob lapidem, & erexit illum in statuam. Et dixit Iacob ad fratres suos, Legite lapides. Qui cum attulissent lapides, tumulum excitarunt, & comederunt ibi super tumulum illum, vocauitq; eum Laban Iegar Sahadntha, Iacob vero vocauit Gilead. Dixitq; Laban, aceruus iste testis est inter me & inter te hodie, ideoque vocatum est nomen eius Gilead & Mizpah, quoniam dixit, Speculetur DOMINVS inter me & inter te, quando absconditi fuerimus alter ab altero. Si afflixeris filias meas, & si acceperis vxores super filias meas, non est quisquam nobiscum. En Deus sit

Gilead mons ultra Iordanem versus Arabiam. Nomen habet a lapidū aceruo, quia ibi Laban & Iacob congestis lapidibus & veteri more facto monumento fœdus fecerunt.

fit testis inter me & inter te. Rursumque dixit Laban ad Iacob : Ecce iste est tumulus, & ecce hæc statua, quam statui inter me & inter te. Testis est acervus ille, & testis quoque est statua illa, si aut ego transiero acervum illum ad te, aut tu transieris tumulum istum & statuam istam ad me in malum. Deus Abraham & Deus Nahor, Deus quoque patris illorum iudicent inter nos. Et iuravit Iacob per timorem patris sui Isaac.

Obtulit autem Iacob sacrificium in monte, inuitavitque fratres suos, ut man-

Vsitatissimum fuit sancire fœdera simul edendo in sacrificiis.

ducarent panem. Et comederunt panem, pernoctaruntque in monte illo. Consurgensque Laban diluculo, osculatus est filios suos & filias suas, benedixitque eis, & abiens reuersus est in locum suum.

## CAPVT XXXII.

Argumentum.

*PRIMVS locus huius capituli docet Deum Ecclesie sue angelos addidisse custodes, nec dubium*

dubium est ex hoc capite sumta esse dicta Psalmorum, Castrametatur angelus Domini in circuitu timentium eum. Item, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Quare cum talibus praesidijs septi simus, pericula corporum in obeunda uocatione minus formidemus. SECUNDVS locus est optima forma precationis, qua complectitur testimonia patrefactionum diuinarum & distinctionem ab Ethnica inuocatione, & cogitationem promissionum & fidem. TERTIVS locus pingit imaginem fidei cum Deo luctantis & vincentis omnes tentationes, ac post victoriam accipientis benedictionem.

## T E X T V S.

**I**acob vero profectus est itinere suo. Et facti sunt ei obuiam angeli Dei. Quos cum vidisset Iacob, dixit, Castra sunt hæc Dei, Et vocauit nomen loci illius Mahanaïm.

Iacob autem misit nuncios ante se

Iacob reuertenti ex Mesopotamia a Gilead obuiam fiunt angeli Dei. Vocat autem castra Dei, id est, praesidia Dei. Hac enim visione confirmauit Deus animum Iacob, ut audito fratris hostili aduentu non desperet, sed Deum praesidio sibi futurum firmiter credat.

ad Esau

ad Esau fratrem suum in terram Seir in regionem Edom. Mandauitque eis dicens, Sic dicetis domino meo Esau, sic dicit seruus tuus Iacob, Apud Laban peregrinatus sum, illicque moram traxi hactenus. Et sunt mihi boues, asini, & oues, serui & ancillæ, misique vt nunciarem hæc domino meo, vt inuenirem gratiam in oculis tuis. Reuersi sunt nuncij ad Iacob, dicentes, Venimus ad Esau fratrem tuum, & tibi etiam obuiam venit cum quadringentis viris. Timuit vero Iacob vehementer anxiusque fuit, & diuisit populum, qui secum erat, oues quoque & boues & camelos in duas turmas, dicens, Si Esau venerit ad vnã turmam, & percusserit eam, altera turma, quæ reliqua est, euadet.

Et rursus dixit Iacob, DEVS patris mei Abraham,

Sancti non sunt sine affectibus, & vt ita dicam, saxei aut ferrei.

Iacob utitur medijs concessis, ne videatur Deum tentare. Sed quia maius est periculum, quam vt humano consilio extricari possit, ideo mox se conuertit ad precationem.

PRECATIO Iacob plena ardentissimorum affectuum, in qua hæc membra  
& Deus

N

& Deus patris mei Isaac, DOMINE, qui dixisti ad me, Reuertere in terram tuam, & in patriam tuam, & benefaciam tibi, Minor sum omnibus miserationibus, & omni veritate quam exhibuisti seruo tuo, quoniam in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc factus sum in duas turmas. Eripe me quæso de manu fratris mei, de manu Esau. Quia timeo eum ne veniat, & percutiat me, matrem cum filijs. Tu locutus es, Benefaciendo benefaciam tibi, & ponam semen tuum quasi arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

ordine considerentur.

I. Compellatio veri Dei. Te verum Deum patefactū patribus meis Abraham & Isaac inuoco.

II. Mandatum Dei. Reuertere in terram tuam.

III. Promissio, Benefaciam tibi.

IIII. Agnitio propriæ indignitatis. Confugio ad te non fretus propria dignitate, sed dulcissimis promissionibus tuis. Agnosco enim me longe minorem esse tuis miserationibus, sed dixisti te mihi opitulaturum esse. Vide vt se sustentat cogitatione promissionis, & in hac acquiescit.

V. Commemoratio præteritorum beneficiorum. Vult enim Deus perficere inchoata beneficia, sicut architectus nō tantum initia molitur, sed



tur, sed domum vult extruere totam.

V I. Res petenda: Defende me.

V I I. Causa finalis liberationis: Ne interficiantur matres & filii, id est, ne pereat Ecclesia. Sunt enim causæ finales liberationum, vt seruetur Ecclesia, vt agnoscatur Dei præsentia, & vt fides confirmetur.

Pernoctauit itaq; ibi nocte illa, & accepit de ijs, quæ sibi in manum veniebant munus pro Esau fratre suo. Nempe capras ducenas, hircos viginti, oves ducenas, arietes viginti, camelas lactantes cum pullis illarum triginta, vaccas quadraginta, & tauros decem, asinas viginti, & pullos decem. Tradiditq; in manum seruorum suorum quemlibet gregem seorsim, & ait ad seruos, Transite ante me, & facite spacium inter gregem & gregem, Et præcepit priori dicens, Si obuium habueris fratrem meum Esau, & interrogauerit te, Cuias es? aut quo vadis? & cuius sunt ista quæ te præcedunt? Dices, hæc sunt Iacob serui tui, estq; munus missum domino suo Esau. Ipse

Augustinus: Admonedi fuimus hoc exemplo, quod quam credimus in Deum, tamen faciamus ea, quæ sunt facienda, ne ea præmittentes Deum tentare videamur.

quoque venit post nos. Similiter dedit mandata secundo & tertio, & cunctis qui sequebantur gregem dicens, Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inueneritis eum, & addetis, quin etiam seruus tuus Iacob sequitur nos. Dixit enim, Placabo faciem eius per munus, quod me antecedit, & postea videbo eum, si forsitan suscipiat faciem meam.

Præcessit itaque munus faciem eius. Ipse

vero mansit nocte illa in turmis. Nocturno vero consurgens tulit duas uxores suas, & duas ancillas suas, atque undecim natos suos & traiecit vadum Iaboc. Et accipiens eos transmisit eos ultra torrentem, transmisit quoque quicquid habuit, & mansit solus.

Et luctabatur vir cum eo donec aurora lucem spargere cepit.

Et videns quod non posset ei præualere, tetigit volam femoris eius, & vola femoris eius luxata est, dum ille lucta-

Suscipere faciem est acceptare seu recipere in gratiam.

Luctatus est Iacob cum filio Dei, unde nomen accepit Israël, id est, princeps Dei, cuius fides tantum habeat robur, ut nullis periculis & tentationibus succumbat. Sed luctæ locum vocauit Iacob Penuel, id est, facies Dei. retur

retur cum eo. Dixitque ad eum, dimitte me, iam enim ascendit aurora. Qui

Nam vera fide agnovit filium Dei, & propterea saluata est anima ipsius.

respondit, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et dixit ad eum, Quod est nomen tuum, respondit, Iacob. At ille nequaquam inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël, quoniam ut princeps conflixisti cum Deo, & cum hominibus, & prævaluisti. Et interrogans Iacob dixit, Dic mihi quo appellaris nomine. Respondit, Cur sic interrogas de nomine meo? benedixitque ei ibidem. Et

vocavit Iacob nomen loci illius Pni-

Lætissima catastrophe luctæ Iacob.

el, quoniam vidi inquit, DOMINUM facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Ortusque est ei Sol postquam transijt Pniel. Et ipse claudus erat in femore suo, ob id filij Israël non comedunt neruum in vertebra femoris usque in præsentem diem, eò quod tetigerit neruum vertebræ in femore Iacob.

## CAPVT XXXIII.

N 3

Argu-

## Argumentum.

*SICVT in natura vices sunt diei & noctis, æstatis & hyemis : Ita in animis piorum perpetua vicissitudo est tentationum & consolationum. Hæret Iacob cum iter per fratris inimici sedes una cum familia facturus est, nec res humano consilio extricari posse videtur. Sed noctu luctatus cum Domino confirmatur & defenditur. Preclare ergo Augustinus de hac vicissitudine Psal. 98. dixit : Et cum blandiris, pater es, & cum cedis, pater es. Ideo blandiris ne deficiam. Ideo cedis ne peream.*

## TEXTVS.

**L**euans vero Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros. Et diuisit filios suos ad Leam, ad Rachelem atq; duas ancillas, & collocauit ancillas & filios illarum in primo ordine, deinde Leam & liberos eius. Rachelem autem & Ioseph postremo. Et ipse præcedens eos, adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret fratri suo. Esau vero obuiam illi currens, amplexatus est eum,

est eum, ruitque in  
collum eius, & oscu-  
latus est eum, & fle-  
uerunt. Attollens  
autem oculos suos,  
vidit mulieres &  
pueros, dixitque,  
Qui tibi isti? Re-  
spondit, pueri sunt,  
quos benignitate

sua D E V S donauit seruo tuo. Et ac-  
cedentes ancillæ & nati eorum inclina-  
runt. Appropinquauit & Lea cum filijs  
suis & inclinarunt. Post hæc adductus  
est Ioseph & Rachel, & incuruati sunt  
coram eo. Dixit autem ille, Quæ tibi  
hæc vniuersa turma? cui obuiam veni.  
Respondit, vt inuenirem gratiam in  
oculis domini mei. Et dixit Esau, Est  
mihi multum mi frater, maneat tibi  
quod tuum est. Ad quem ait Iacob,  
Ne quæso, si inueni gratiam in oculis  
tuis, accipe hoc munus meum de manu  
mea. Sic enim vidi  
faciem tuam, quasi  
viderem faciem Dei,  
& bene voluisti mi-  
hi.

Sic Alexander  
Magnus cum hos-  
tilem exercitum vrbi  
Ierosolymæ admo-  
turus esset, cōspecto  
summo sacerdote  
Iaddo non modo ni-  
hil hostile fecit, sed  
eidem etiam sit sup-  
plex, vt scribit Iose-  
phus lib. ii. τῆς ἀε-  
χουαλ. cap. vltimo.

Agnoscit Iacob  
fraternam beneuo-  
lentiam esse donum  
Dei, non impie as-  
sentatur fratri.



Accipe quæſo benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus. Benigne enim mihi fecit DEVS, & factis habeo, coëgitq; illum, & accepit. Et ille ait, Proficiſcamur & eamus, eroq; ſocius itineris tui. Reſpondit illi Iacob, Noſti domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues & boues lactantes mecum, quas ſi impulerint vno die, morientur cuncti greges. Tranſeat quæſo dominus meus ante ſeruum ſuum, ego ſenſim incedam, quatenus ferunt pecora ante me, & quatenus pueri ferre poſſunt, donec venero ad dominum meum in Scir. Dixit ergo Eſau, Conſtituam quæſo quosdam de ijs, qui mecum ſunt, qui tecum manent. Reſpondit Iacob, ad quid iſtud? ſatis eſt, ſi gratiam inuenio in oculis domini mei. Reuerſus eſt itaq; Eſau eodem die itinere ſuo verſus Scir. Iacob vero profectus eſt in Suchoth, & extruxit ſibi domũ, ſed & pro pecorib. ſuis fecit tabernacula. Hinc vocatum eſt nomen loci illius Suchoth.

Suchoth locus eſt  
vltra Iordanem ad  
torrentem Iaboc,  
vbi Iacob deſenſus  
eſt contra Eſau.

## CAPVT XXIII.

## Argumentum.

*HOC CAPVT continet doctrinam de cruce & calamitatibus piorum. Cogita enim in quanto luctu & periculo fuerit sanctissimus patriarcha Iacob & propter stuprum filia, & propter parricidium, quo se filij Simeon & Leui contaminarunt. Discamus igitur intuentes in hoc exemplum patriarche nullum Euripum tot aestus & tantas fluctuum agitationes habere, quantas perturbaciones habet cor hominis pie & recte Deum inuocantis. Nunquam enim bella bonis, ut Prosper dixit in Epigrammatis, nunquam discrimina desunt. Et cum quo certet meus pia semper habet.*

## T E X T V S.

**P**ost hæc transijt Iacob in Salem ciuitatem Sichem, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de Mesopotamia, & castra-

Sichem seu Salem primum hospitium Abrahæ venientis in terram Chanaan, fuit in confinio Manasse & Ephraim. Nec dubium est ex capite 48. Gen. ibi locum fuisse dona-

N 5

metatus

metatus est è regione illius ciuitatis. Emit quoq; partem agri à filijs Hæmor, patris Sichem centum nummis, in qua fixit tabernaculum, ibiq; constituit aram, & inuocauit fortem Deum Israëlis.

Egressa est autem Dina filia Leæ, quam pepererat ipsi Iacob, vt videret filias illius terræ, quam vt vidit Sichem filius Hæmor Hiuxi, principis illius terræ, rapuit eam, & dormiens cum ea, constuprauit eam.

Et adhæsit animus eius Dinæ filie Iacob, locutusq; est ad cor puellæ. Et dixit Sichem ad Hæmor patrem suum, Accipe mihi puellam hanc in cõiugem. Audiuit autem Iacob, quod ille polluisset Dinam filiam suam. Filij autem eius erant in agro apud pecora sua, & tacuit Iacob donec venirent. Et egressus est Hæmor pater Sichem ad Iacob, vt loque-

tum Ioseph. Aiunt & sepulchrum Ioseph eo loco fuisse.

Iacob extruit altare & congregat Ecclesiam ad concionem & ad sacrificium, sicut promiserat se facturum Gen. 28.

Vitare occasiones peccati est vitare ipsa peccata.

Atrocissimū vulnus Ecclesie Iacob stupratio vnice filie Dinæ.

loqueretur cum eo. Venientes autem filij Iacob de campo atq; audientes, contristati sunt viri illi & commoti vehementer, quod ille stultitiam operatus esset in Israël, & violasset filiam Iacob, quod minime fieri conueniebat.

Locutus est autem Hæmor cum eis, dicens, Sichem filij mei anima adhæsit filia vestra, date quæso eam illi in vxorem. Iungite nobiscum affinitatem, filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite. Et habitate nobiscum, regio ipsa vobis patebit, habitate & negociemini, & possessionem acquirite in ea. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres eius ait, Inueniam gratiam in oculis vestris, & quicquid dixeritis ad me, dabo. Augete etiam plurimum super me dotem & munus, & dabo iuxta quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc vxorem. Responderunt filij Iacob Sichem &

patri eius cum dolo Insidiosa occultatio.  
& locuti sunt, Eò

quod sororem ipsorum Dinam pollisset, dixeruntq; ad eos, Non possumus facere rem istam, vt demus sororem nostram homini habenti præputium.

Id enim

Id enim probro nobis esset. Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si voveritis esse similes nostri, & circumcissus fuerit in vobis omnis masculus. Tunc dabimus filias nostras vobis, & filias vestras accipiemus nobis, habitabimusq; vobiscum, & erimus vnus populus. Quod si non audieritis nos, vt circumcidamini, tollemus filiam nostram, & recedemus. Placuerunt vero verba illorum cum ipsi Hæmor, tum Sichem filio eius. Et iuuenis quidem nihil cunctatus est facere rem istam. Deperibat enim filiam Iacob, eratq; honoratior omnibus qui erant in domo patris sui.

Venit itaq; Hæmor & Sichem filius eius ad portam ciuitatis, locutiq; sunt cum ciuibus dicentes, Viri isti pacifici sunt erga nos, & volunt habitare in nostra regione in eaq; negociari, Et terra quidem satis ampla est coram eis. Filias eorum accipiemus nobis in vxores, & dabimus eis filias nostras. Verum in hoc consentiunt nobis viri illi, vt nobiscum habitent, coëantq; nobiscum in vnum populum, si circumcidatur apud nos omnis masculus, sicut ipsi circum-



circumcisi sunt. Pecora & facultates illorum; atq; omnia eorum iumenta, nonne nostra erunt? Si tantum acquirerimus illis, vt nobiscum habitent. Obsecuti sunt itaq; ipsi Hæmor & Sichem filio eius, omnes qui egrediebantur portam ciuitatis suæ, & omnis masculus circumciscus est, quicumq; egrediebatur portam ciuitatis suæ. Tertio itaq; die, cum essent in dolore ciues, duo filij Iacob, Simeon & Leui, fratres Dinæ, arreptis gladijs suis, vrbem introierunt confiden- Quicquid deliter, & occiderunt omnem masculum. rant reges plectuntur Achiui.

Quin & Hæmor atq; Sichem filium eius trucidarunt in ore gladij, tuleruntq; Dinam ex domo Sichem, & abierunt. Filij vero Iacob venientes super occisos, diripuerunt ciuitatem, eò quod polluisent sororem suam. Oves quoq; & boues atq; asinos illorum, & quicquid erat in vrbe, & in agro raperunt. Sed & cunctam substantiam illorum, & omnes paruulos atq; vxores illorum duxerunt captiuas & diripuerunt vnâ cum omnibus quæ erant in domo.

Dixit

Dixit vero Iacob ad Simeon & Leui, turbastis me, putidumque reddidistis coram Chanaanō & Pherisāo, & ego

Iacob non approbat inordinatā vindictam, quam exerceverunt filii, sicut infra eam cap. 49. tristi sententia puniet.

quidem paruo sum numero. Illi ergo congregabuntur aduersum me, & trucidabunt me, deleborq; ego & domus mea. Illi vero responderunt, An ergo vt scorto abuti sorore nostra debuit?

## CAPVT XXXV.

Argumentum.

*IN HOC capite duo loci potissimum considerentur, PRIOR de protectione diuina. Nam textus discrete affirmat vicinis gentibus pauorem diuinitus incussum fuisse, ne auderent familiam Iacob persequi. Sic Attila interrogatus, cur Leonis Episcopi Romani oratione permotus Romae pepercisset, dixit se vidisse senem astantem Leoni, specie supra humanam terribili minitantem ei mortem, nisi supplicibus parceret. Ita etiam terribilium tyrannorum impetum saepe Deus frangit. ALTER locus est exemplum toleran-*

*lerantie Iacob in magna vi tempestatum & concursu calamitatum. Videt Iacob funera charissime coniugis Rachelis, que in partu extinguitur, & patris Isaac senio confecti, & hanc mœsticiam conceptam ex obitu coniunctissimorum hominum auget incesta consuetudo Ruben primogeniti cum nouerca Bilha. Sed tamen in tot tantis & tam acerbis calamitatibus lucet proprium decus Ecclesie, videlicet tolerantia & innuocatio petens & expectans à Deo mitigationem erumnarum.*

## T E X T V S.

**D**I X I T autem **D**E V S ad Iacob, Surge & ascende in Bethel, & habita ibi, faciesq; ibi altare Deo, qui apparuit quando fugiebas Esau fratrem tuum. Et dixit Iacob ad domum suam, & ad omnes qui secum erant, Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mundate vestimenta vestra.

Surgite & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in

Consolatio sumpta a prioribus beneficiis, congruens cū dicto Pauli 2. Cor. 1. Qui toties nos ex morte eripuit, deinceps quoque nos liberabit.

me in die tribulationis meæ, & affuit mihi in via quam ambulauit.

Pfalmo 66. Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam a me. Hoc est, Deus est promptissimus ad audiendum, modo nos promissimus ad clamandum.

Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habuerunt in manu sua, & in aures, quæ erant in auribus eorum. At ille defodit eos subter quercum, quæ erat iuxta Sichem. Cumque emigrarent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates illas, vt filios Iacob non persequerentur.

Obedientia debita ministerio, iuxta illud Ebræos 13. Obedite his qui præ sunt vobis, scilicet in his, quæ sunt propria ministerii, iuxta Euangelium.

Pfal. 46. Dominus exercituum nobiscum, refugium nostrum Deus Iacob.

Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, ipsa est Bethel, ipse & omnis populus, qui erat cum eo. Et ædificauit ibi altare, & appellauit locum illum, El Bethel, ibi enim apparuit

ruit ei Deus, cum fugeret fratrem suum. Mortua vero est

Debora nutrix Re-

Mors Deboræ.

beccæ, & sepulta est ad radices Bethel, subter quercum, vocatumq; est nomen loci illius, Quercus fletus. Rursus ap-

paruit Deus Iacob,

Patefactio Dei in historiis prophetiis velut gemma insignis eminet, & facit illustre discrimen inter sacras & Ethnicas historias.

postquam reuersus est de Mesopotamia Syria, benedixitque ei dicens, Nomen

tuum est Iacob, Non vocaberis vltra Ia-

cob, sed Israël erit nomen tuum, vocatumq; est nomen eius Israël. Dixit vero ad eum Deus, Ego sum Deus om-

nipotens, cresce & multiplicare, gentes & gentium congregatio ex te pro-

dibit. Reges de lumbis tuis egredientur, terramq; quam dedi Abraham &

Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Ascendit itaq; Deus ab eo, in loco vbi

locutus fuerat cum eo. Posuit autem Iacob statuam lapideam in eodem lo-

co, in quo cum eo locutus fuerat, libans super eam libamen, & fundens super eam oleum. Vocauitq; nomen loci illius, in quo De-

o Eodem loco Iesus fue-



us fuerat cum eo locutus, Bethel. roboam vitulum aureum collocavit, vt videretur sequi exemplum patrum, qui ibi Deum adorassent.

Mutant igitur prophetae honestam appellationem veterum, & nominant hunc ipsum locum Bethauen, id est, domum sceleris, vt taxari impium cultum populus intelligeret, nec deciperetur mentione exempli patrum.

Et profecti sunt de Bethel, cumque abessent iugerum arui

ab Ephratha, peperit Rachel, & ob difficultatem partus periclitari cepit, cumque sic grauius haberet in partu suo, dixit ad eam obstetrix, Ne timeas,

Ephrata significat ubertatem, seu terram frugiferam. In vniuersa enim terra nihil fuit fecundius agro Ephratae seu Bethlachem. Fuit autem Bethlachem patria Dauidis & Christi.

Nam & hunc habebis filium. Cumque efflaret animam, moriebatur enim, vocauit nomen eius Benoni. Mortua ergo est Rachel, & sepulta est in via, quae

Mors Rachelis.

ducit Ephratam, hoc est, Bethlehem. Et collocavit Iacob statnam ad sepulchrum eius. Haec est statua monumenti Rachel usque in praesentem diem.

Profectus ergo Israel tetendit tabernaculum

bernaculum suū vltra turrim Eder. Factumq; est cum habitaret Israēl in ea regione, vt abiret Ruben, & dormiret cum Bilha concubina patris sui, quod audiuit Israēl.

Eder turris vel grex. Hoc loco pastorib. natiuitatem Christi ab angelis annunciatam fuisse scribit Hieron.

Semper nouæ procellæ Ecclesiam obruunt.

Erant autem filij Iacob duodecim, Filij Leæ, primogenitus Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Isaschar & Zebulon. Filij Rachel, Ioseph & Benjamin. Filij autem Bilhæ ancillæ Rachelis, Dan & Naphthali. Filij Zilpæ ancillæ Leæ, Gad & Affer. Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia. Et venit Iacob ad Isaac patrem suum in Mamre in Kiriath Arbe, quæ est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. Fuerunt autem dies Isaac centum anni & octoginta. Et deficiens mortuus est, collectusq; ad populos suos senex & satur dierum, & sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui.

Mors Isaac.

Testimonium de resurrectione mortuorum, Gen. 25.

## CAPVT XXXVI.

## Argumentum.

DVCENTIS annis, quibus Iacob cum suis posteris in Aegypto fuit, durauit regnum Edom. Post egressum ex Aegypto rursus diuisa est Idumaea in ducatus, per quos gubernata est vsq; ad tempus Dauidis, qui domuit Idumeam. Non igitur inutilis est haec genealogia Esau. Nam in ea conspiciamus gloriam & florem hominum impiorum in hac vita, qui abundant dignitate, opibus, successibus, tenent imperia & regna mundi, & aut negligunt aut premunt pios, sicut Edomite superbe despexerunt Iacob cum sua posteritate. E contra vero Iacob, qui habet promissionem & veram Ecclesiam gubernat, miserabiliter premitur domesticis & alijs arumnis. In hanc imaginem intuentes discamus qualis sit Ecclesia, nec ab ea propter scandalum crucis deficiamus.

## TEXTVS.

**H**AE autem sunt generationes Edom, ipse est Edom. Esau duxe-

Vxores Esau.

rat

rat vxores de filiabus Chanaan, Ada filiam Elon Hethæi, & Aholibama filiam Ana filiam Zibeon Hiuæi, Basmath quoq; filiam Ismaëlis sororem Nebaioth. Peperit autem Ada ipsi Esau Eliphas. At Basmath peperit Rehuël. Aholibama peperit Jehus, Ialam atque Corah. Et hi sunt filij Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autem Esau vxores suas & filios & filias, & omnes animas domus suæ, pecora sua & ornamenta sua, cunctamq; possessionem suam, quam cõparauerat in terra Chanaan, & recessit à fratre suo Iacob in aliam regionem.

Esau cessit Iacob.

Plurimæ enim erant facultates eorū, nec poterant habitare si

Opulentia Iacob.

mul, sed nec terra peregrinationum eorū sustinebat eos, propter multitudinem gregum. Habitauit autem Esau in monte Seir. Et Esau est Edom. Hæ

autem sunt generationes Esau patris

Familia Esau.

Edom, in mōte Seir. Et hæc sunt nomina filiorū Esau, Eliphas filius Ada vxoris Esau, Reguël filius Basmath vxoris Esau. Fueruntq; Eliphas filij Theman,

Omar, Zepho, Gatham & Kenas. Porro Thimna fuit pellex Eliphaz filij Esau, & peperit ipsi

Amalec, Exod. 17.

Amalec, & hi sunt filij Ada vxoris Esau. Isti vero fuerunt filij Reguël, Nahath, Zera, Samma & Miza. Isti fuerunt filij Basmath vxoris Esau. Isti fuerunt filij Aholibama, filia Ana, filia Zibeon vxoris Esau, quos peperit ipsi Esau, Iehus, Ialam & Korah.

Isti sunt duces filiorum Esau, filij E-

Principes.

liphas primogeniti Esau. Dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas, dux Korah, dux Gatham, dux Amalec. Isti sunt duces ex Eliphaz in terra Edom, & hi sunt filij Ada. Hi quoque sunt filij Rehuël filij Esau, Dux Nahath, dux Zerah, dux Samma, dux Miza. Isti sunt duces ex Rehuël in terra Edom, & hi sunt filij Basmath vxoris Esau. Hi autem filij Aholibama vxoris Esau, Dux Iehus, dux Ialam, dux Korah. Isti sunt duces ex Aholibama filia Ana vxore Esau. Hi itaque sunt filij Esau, & hi duces eorum, Is est Edom.

Isti vero sunt filij Seir Horæi habitan-

Deute. 2. Enachim deleuit Domites in



tes in terra, Lothan, Sobal, Zibeon & Ana. Item Dison, Ezer, atq; Disan. Et hi sunt duces Horæi filij Seir in terra Edom. Fueruntq; filij Lothan, Hori & Heman. Soror vero Lothan Thimna. Et isti filij Sobal, Aluan & Manahath, Ebal, Sepho, atque Onam. Et isti sunt filij Zibeon, Aia, Ana. Hic est Ana, qui inuenit mulos in deserto, cum pasceret asinos patris sui Zibeon. Et isti sunt filij Ana, Dison, & Aholibama, filia Ana. Hi vero sunt filij Disan, Hembdan, Esban, Ithran, atq; Cheran. Isti sunt filij Ezer, Bilhan, Zahæuan, & Acan. Et hi filij Disan, Vz & Aran. Hi duces Horæi, dux Lothan, dux Sobal, dux Zibeon, dux Ana, dux Dison, dux Ezer, dux Disan. Isti sunt duces Horæi, secundû duces eorum in terra Seir.

Reges autem qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Is-

nus à facie filiorum Lot, & fecit illos habitare pro eis, sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horæos, & terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens.

Vz, Iob. cap. 1.  
Vir erat in terra Vz nomine Iob.

Reges Idumæi.

lij Israël sunt hi. Regnauit in terra Edom Bela filius Beor, & nomen ciuitatis suæ Dinhaba. Mortuo Bela regnauit pro eo Iobab filius Zera de Bozra, Bozra, Esa. 63.

cumq; mortuus esset Iobab, regnauit pro eo Hufam, de terra Theman. Mortuo Hufam regnauit pro eo Hadad, filius Bedad, qui percussit Midian in campo Moab, & nomen ciuitatis eius Auith. Hadad mortuo regnauit pro eo Samla de Masreca. Mortuo Samla regnauit pro eo Saul, de Rehoboth fluuii. Mortuus vero est Saul, & regnauit pro eo Baal Hanan, filius Achbor. Sed & Baal Hanan filius Achbor mortuus est, & regnauit pro eo Hadar, & nomen ciuitatis suæ Pahu. Nomen vero uxoris suæ Mehetabeël, quæ fuit filia Matred, filia Mezahab.

Hæc ergo sunt nomina ducum Esau iuxta familias suas, & iuxta loca & nomina sua, dux Thimna, dux Aluah, dux Ietheth, dux Aholibama, dux Ela, dux Pinon, dux Kenaz, dux Theman, dux Mibzar, dux Magdiël, dux Iram. Isti inquam sunt duces Edom, iuxta habitationes suas in terra possessionis eorū. Ipse est pater Edomæorū. CA-

## CAPVT XXXVII.

## Argumentum.

*DILIGENTISSIME consideretur historia Ioseph, per quem regnum Ægyptium eo tempore florentissimum constitutum est, & propagata vera religio in magna Ægypti parte. Nam & doctrinam grauissimam, & gratissimam consolationem nobis proponit de Ecclesia, quam testatur in hac vita regi ac seruari à Deo sine presidij humanis, & tandem glorificari, etsi ante catastrophem varijs calamitatibus exercetur. Deinde Ioseph est illustre exemplum omnium virtutum primæ & secundæ tabule, ut series historia ostendit. Postremo erumne & liberatio Ioseph sunt typus passionis & victoria Christi.*

## T E X T V S.

**H**abitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. Et hæ sunt generationes Iacob. Ioseph cum esset decem & septem annorum, pascebat cum fratribus oues.

Ioseph anno septimo decimo ætatis suæ in Ægyptum venditus est, viuens

O 5 Et ipse

Et ipse puer erat cū filijs Bilhæ & Zilpæ vxorum patris sui, & deferebat famam illorum malam ad patrem eorum. Is-

raël vero diligebat Ioseph præ cunctis filijs suis, eò quod in senectute genuisset eum, fecitq; ei tunicam polymitam.

Videntes autem fratres eius, quod à patre præ cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant cum eo loqui in pace.

Vidit etiam Ioseph imaginem somnij, quam cum fratribus suis recitaret, maius illi odium aduersus eum con-

ceperunt. Dixit enim ad eos, Audite quæso somnium istud, quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, & ecce confurgens manipulus meus erectus stabat, & vestri manipuli circumstantes adorabant manipulum meum.

Respon-

te adhuc Isaac, qui in communi dolore & luctu fuit cum filio Iacob. Vixit enim Isaac post ventum Ioseph annos duodecim.

Tres causæ amulationis fratrum Ioseph. I. Patrefactio scelerum, quibus se fratres polluebant.

II. Ardentior *εοργη* patris erga Ioseph.

III. *φιλαργία*, id est, dominandi cupiditas. Omnibus enim cura viris, vt ait Ennius, vter esset induperator.

Somnium Ioseph diuinum.

Responderunt autē fratres eius, Nunquid regnando regnabis super nos, aut dominando dominaberis nobis? Conceperunt ergo maiores flammas odij aduersus eum propter somnia atq; sermones eius. Et

Alterum somniū.

rursus somniauit aliud somnium, quod narrans fratribus suis ait, Ecce somniaui quoq; & hoc somnium, Vidi quasi Solem & Lunam vnā cum vndecim stellis adorare me. Hoc cum recitasset patri suo & fratribus suis, obiurgauit eum pater his verbis: Quale est somnium istud quod somniaſti? Nunquid veniendo veniemus ego & mater tua & fratres tui, vt abijciamus nos ad pedes tuos in terram! Inuidebant igitur ei fratres sui, pater vero eius conseruabat verbum istud.

Cumq; abiſſent fratres eius vt pascerent oues patris sui in Sichem, dixit Iſraël ad Ioseph, An non fratres tui pascunt oues in Sichem? Veni mittam te ad eos. Respondit ei, Ecce ego, Dixitq; ad eum, Vade quaſo, & vide ſi in pace ſint fratres tui, & ſi pax ſit ouibus,

Obedientia Ioseph erga patrem.

& re-



& renuncia mihi quid agatur. Misit itaq; eum de valle Hebron, vt veniret in Sichem.

Inuenit autem eum vir errantem in campo, qui interrogans aiebat, quid quæris? Respondit, Fratres meos quæro, Indica quæso mihi vbi pascant greges. Et dixit vir ille, Profecti sunt hinc, audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothan. Perrexit itaq; Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothan.

Videntes vero eum à longe, antequam accederet ad eos, insidiabantur ei, vt illum occiderent, & sermones inter se communicabant, Ecce somniator ille venit. Nunc igitur venite & occidamus eum, & proijciamus eum in vnam cisternarum, dicemusq;, Fera pessima deuorauit eum, & videbimus quid illi profint somnia sua.

Audiens autem hæc Ruben, liberauit eum de manibus eorum, & dicebat, Non interficiamus animam eius. Et rursus dixit ad eos Ruben, Ne effuderitis sanguinem, sed proijcite eum in cisternam illam, quæ est in deserto, & manum

manum ne miseritis in eum. Volebat enim ereptum de manibus eorum restitueri patri suo.

Factum est autem cum venisset Ioseph ad fratres suos, exuerunt eum non modo tunica, sed etiam polymita, qua erat indutus. Et pre-

hensum cōiecerunt in cisternam vacuum, in qua non erat aqua. Et sedentes comederunt panem,

Ex hoc loco sumta sunt Zachariæ verba cap. 9. Emittes vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.

& leuatis oculis suis viderunt turmam Ismaëliitarum venire de Gilead, & camelos eorum portantes aromata, & resinam & stacten. Ibant autem vt descenderent in Aegyptum. Dixit ergo Iuda fratribus suis, Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & occultauerimus sanguinem ipsius? Venite & vendamus eum Ismaëlitis, nec manus nostræ sint in eo. Nam frater noster & caro nostra est, & acquieverunt fratres sermonibus illius. Et prætereuntibus Midianitis negociatoribus, extraxerunt illi Ioseph de cisterna, & vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis, qui duxerunt Ioseph in Ac-

in Aegyptum. Cum autem reuertere-  
tur Ruben ad cisternam, & non inue-  
niret puerum in cisterna, scidit vesti-  
menta sua, & rediens ad fratres suos  
dixit, Puer non adest, & ego quo va-  
dam?

Tulerunt itaq; tunicam Ioseph, &  
mactantes hircum caprarum, tinxe-  
runt tunicam in sanguine, & mittentes  
tunicam illam polymitam, curabant  
deferri ad patrem suum, & nunciari,  
Hanc inuenimus, vide utrum sit tunica  
filij tui, an non. Et agnouit eam, dixit-  
que, Tunica filij mei est, Fera pessima  
deuorauit eum, lacerando laceratus  
est Ioseph. Sciditq; Iacob vestimenta  
sua, & circumdedit  
saccum lumbis suis,  
& luxit filium suum  
longo tempore. Sur-  
rexerunt autem om-  
nes filij cunctaq; filia eius, vt consola-  
rentur eum, sed noluit consolationem  
admittere, & ait, Descendam ad filium  
meum lugens in fos-  
sam, Fleuitq; super  
eum pater suus. Por-  
ro Midianita vendi-

Iacob vixit in lu-  
ctu & squalore pro-  
pter calamitatem Io-  
seph annos viginti  
duos.

Nulla ex re hu-  
mana parentes ma-  
iorem dolorem ca-  
piunt, quam ex ca-  
derunt

derunt eum in Aegyptum Potiphari Eunucho Pharaonis principi Laniorum.

lamitate & turpitudine liberorum, sicut e contra magnam eis lætitiã affert virtus & res secundæ liberorum.

## CAPVT XXXVIII.

### Argumentum.

*HISTORIA de incesta consuetudine Iuda socii & nurus Thamar propter duas causas in hoc capite recitatur, Primum propter genealogiam Christi, in qua fit mentio seminis gentium, ut significetur Ecclesiam non modo ex Iudeis, verumetiam ex gentibus colligendam esse. Deinde ut discernamus lapsus sanctorum à furoribus impiorum, qui perseuerant in delictis contra conscientiam. Vult enim nos Deus agnoscere nostram infirmitatem, & vigilantes esse contra Diaboli insidias. Vult & lapsos rursus erigi exemplis sanctorum, qui quanquam magna vulnera accepissent, tamen rursus sanati sunt.*

### T E X T V S.

Factum

**F**Actum est autem eodem tempore, vt descenderet Iuda à fratribus suis, & diuerteret ad virū \* Odollamiten, nomine Hira, viditq; ibi Iuda filiam hominis Chananaei, qui Sua appellabatur, & duxit eam vxorem. Cū autem ingressus esset ad eam, concepit & peperit filium, quem vocauit ipse Ger. Et iterum concipiens peperit filium, & ipsa vocauit eum Ona. Et adijciens peperit adhuc filium, vocauitq; nomen eius Sela, & erat in Chesib quando peperit eum.

Hæc iuxta seriem historix & veram *χρονολογίαν* acciderunt ante mortem Isaac & venditionem Ioseph. Vtitur enim Moses sicut & alii historici *ιστοριογράφοι*, cum non omnia simul exponi possint.

\* Odollam, vrbs sita in tribu Iuda.

Ger nomen habet a peregrinatione: Ona a dolore: Sela a salute seu felicitate.

Et accepit Iuda vxorem primogenito suo Ger, nomine Thamar, Et fuit Ger primogenitus Iudæ malus in conspectu DOMINI, & interfecit eum DOMINVS. Dixit ergo Iuda ad Onan, Ingredere ad vxorem fratris tui, & contrahe cum ea matrimonium, vt suscites



fufcites semen fratri tuo. Sciens vero Onan, quod non suum effet semen, ingreffus ad vxorem fratris fui, semen fundebat in terram & perdebat, ne semen daret fratri suo. Et \* malum visum fuit in oculis DOMINI quod ille fecerat, ideo occidit & ipsum. Dixit itaq; Iuda ad Thamar nurrum suam, Esto vidualia in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus. Dicebat enim, Ne forte moriatur etiam ipse, sicut fratres sui. Et abiit Thamar, & habitauit in domo patris sui.

Abierunt itaq; dies multi, & mortua est filia Sua, vxor Iuda, qui ex luctu

De hoc fine coniugii Plato loquitur inquiring, Ideo coniugio vtendum esse, quia cum homines ex hac societate morientes discedant, debeat vnusquisque pro se alios Deo cultores in hoc coetu relinquere. Hæc vox dignissima est memoria piorum. Nam hic præcipuus finis cõiugii esse debet, videlicet relinquere fidos custodes doctrinæ cœlestis.

\* Effusio seminis illicita abominatio coram Deo, qui vult in genere humano lucere castitatis intellectum, vt sciamus & ipsum esse mentem castam & castitatis amantem, & huius virtutis mentione discernamus eum a naturis immundis.

Sua proprium nomen socii Iuda  
P recrea-

recreatus ascendebat in Thimnath ad tonfores ouium suarum, ipse & Hira pastor eius Odollamites. Nunciatumque est Thamar per dicentem, Ecce focer tuus ascendit in Thimnath, vt tondeat oues suas. Itaque depositis viduitatis vestibus, assumpsit pelum quo se operuit atque inuoluit, & sedit in ostio oculorum, quod est iuxta iter, quod ducit in Thimnath. Vidit enim creuisse Selam, & se illi non datam in vxorem,

Thamar cupiens esse mater venturi liberatoris incestam commixtionem cum focero viduitati anteponit.

Videns autem eam Iuda suspicabatur eam meretricem esse. Operuerat enim faciem suam ne agnosceretur. Declinans ergo ad eam in via, dixit, Age, sine quaeso ad te ingrediar. Nesciebat enim quod nurus sua esset. Illa vero respondit, Quid dabis mihi, vt ad me ingrediaris? Qui dixit, Mittam tibi haedum de gregibus. Respondit illa, Si dederis arrabonem donec miseris. Qui ait, Quid vis tibi pro arrabone dari? Respondit, Annulum tuum & amictum tuum, & baculum quem manu tenes. Dans itaque ei ingressus est ad eam, &

conce-

concepit ex eo. Et surgens illa abiit, positoque peplo suo, induit vestimenta viduitatis suæ.

Misit autem Iuda hædum per pastorem suum Odollamiten, ut reciperet pignus quod dederat mulieri, sed non inuenit eam. Interrogauit igitur homines illius loci dicens, Vbi est illa meretrix, quæ sedebat in biuio. Illi responderunt, Nulla fuit hinc meretrix. Reuersus est igitur ad Iudam, dixitque illi, Non inueni eam, sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum. Et dixit Iuda, habeat sibi, Ne simus nos in contemptu.

Post tres ferme menses nunciatum est Iudæ à dicente, Fornicata est Thamar nurus tua, & ecce ex scortatione concepit. Dixitque Iuda, Producite eam ut comburatur. Quæ cum educeretur, misit ad socerum suum, dicens, E viro cuius hæc sunt concepi, addiditque, cognosce cuius sit annulus & amictus & baculus. Et agnouit Iuda & dixit, Iustior me est, quia non dedi eam filio meo Sela, nec adiecit ultra cognoscere eam.

Cumque aduenisset tempus ut pareret

ipsa, Ecce gemini in vtero eius, & in pariendo vnus manum exeruit, & accipiens eum obstetrix, circumligabat coccineo filo dicens, Ille egredietur prior. Factumq; est vt is reduceret manum suam, & ecce egressus est frater eius, dixitq; illa, Cur rupisti tibi rupturam? Et vocatum est nomen eius Perez. Postea egressus est frater eius, in cuius manu filum coccineum erat, & vocatum est nomen eius Zarah.

## CAPVT XXXIX.

### Argumentum.

*IN HOC capite non tantum consideretur exemplum castitatis, sed etiam testimonium de presentia Dei in arumnis sanctorum iuxta dictum, Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Est enim Ioseph noua procella obruitur, & propter fuitiles suspiciones adulterij in carcerem conijcitur: tamen non deseritur à Deo, ut in libro sapientie cap. 10. dulcissime scribitur: Sapientia seu αβγος venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit cum,*

*eum, descenditq; cum illo in foueam. Sic Danielis 3. dicitur: Angelus Domini descendit cum Azaria & socijs eius in fornacem. Huius igitur presentia & auxilij fiducia acquiescamus, & à Deo petamus & expectemus vel liberationem vel mitigationem.*

## T E X T V S.

**P**ORRO Ioseph ductus est in Aegyptum, emitq; eum Potiphar cubicularius Pharaonis, princeps Laniorum, vir Aegyptius de manu Ismaëlitarum, qui perduxerant eum illuc. Et fuit Deus cum Ioseph, & erat vir in cunctis prospere agens, versans in domo domini sui Aegyptij. Viditq; herus eius, quod **D O M I N V S** esset cum eo, quodq; omnia quæ agebat Ioseph, **D O M I N V S** in manu eius fortunaret. Valuit itaq; Ioseph gratia apud herum suum, seruiuitq; ei, qui quidem constituit eum super domum suam, & omnia quæ habebat tradidit in manum eius. Ab eo ergo tempore, quo constituit eum super domum suam, & super omnia quæ



nia quæ habuit, benedixit DOMINVS domui Aegyptij propter Ioseph, fuitq; benedictio DOMI-

NI super omnia quæ habuit, siue domi siue in agro. Reliquit igitur omnia quæ habebat in manu Ioseph, nec quicquam cum eo nouerat, nisi panem quo vescebatur.

Erat autē Ioseph pulchra facie & decorus aspectu. Factumq; est post hæc verba, vt vxor heri sui coniectis in Ioseph oculis, diceret: Dormi mecū, Qui recusans ait ad vxorem domini sui. En herus meus nō cognouit mecum quicquam in domo, quin cuncta quæ habet tradidit in manum meam, neque quicquam tam magnum est,

quod à me alienarit, præter te, quatenus vxor illius

Deus benefacit politiis & æconomiis quæ sunt hospitia Ecclesiæ & piorum singulorum.

Hæc verba significant Ioseph Arcadum more laborasse, hoc est, sine sua vtilitate, nec quicquam mercedis accepisse, præter demensum diurnum.

Post hæc verba, Ebraismus, id est, his rebus gestis.

Id est, Totam molem procurationis domesticæ in me transtulit, nec sollicitus est de vlla parte æconomix.

lius es. Quomodo igitur possum hoc malum facere & peccare in Deum? Talibus verbis per singulos dies utebatur ad Ioseph, ipse tamen non gerebat ei morem, ut dormiret cum ea, aut cum ea versaretur.

Contigit ergo quodam die, ut domum veniret Ioseph, ut faceret opus suum, nec esset quispiam ex familiaribus in domo, ibi illa apprehensa veste eius dixit, Dormi mecum. Sed relicta veste sua in manu illius fugit, & egressus est foras. Cumque vidisset mulier, quod reliquisset vestem suam in manu eius, fugissetque foras, vocavit domesticos suos, & dixit ad eos, En introduxit ad nos virum Ebraum, ut nobis illuderet, ingressus est ad me, ut coiret mecum. Ego vero sublata voce clamaui, cumque is audiret me attollere vocem & clamare, veste sua apud me relicta aufugit & egressus est. Et deposuit vestem eius apud sese, donec veniret herus eius domum. Tunc vsa est ad eum hisce verbis, Venit ad me seruus Ebraus, quem adduxisti nobis ut illuderet mihi. Cum vero sustulisssem vocem meam & clamarem, relicta veste sua apud

me, fugit foras. Audiens itaq; dominus eius verba vxoris suæ, quibus fuerat vsa, Sic fecit mihi seruus tuus, flammâ irarum concepit, tollensq; herus Ioseph coniecit eum in carcerem, in eum videlicet locum, vbi vincti regis conclusi tenebantur, Et Ioseph fuit illic in carcere.

Fuit autem D O M I N V S cum Ioseph, & inclinavit ad eum misericordiam, & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris, qui tradidit in manum eius vniuersos vinctos,

qui in custodia tenebantur, & quæcunque erant facienda ipse faciebat. Nec quicquam nouerat præfectus carceris in manu sua. D O M I N V S enim erat cum illo, & quicquid faciebat ipse, fortunabat.

Præsentia Dei in ærumnis piorum, Psal. 91. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Sustentat enim Dominus Ioseph interiori consolatione, & simul mitigat ærumnas.

## CAPVT XL.

Argumentum.

ΝΑΚ

*NARRATIO huius capituli docet qualis fuerit Ioseph in carcere. Tanta enim magnitudine animi in carcere præditus fuit, ut reliquos captiuos confirmaret, & si quem forte consternatum videbat, hunc consolatione erigeret. Deinde cum diserte tribuat interpretationem somniorum sapientia Dei, ipso factò ostendit se deponere fiduciam & admirationem propriæ industriæ & gloriari in solo Deo. Postremo incredibili patientia & modestia sic defendit suam innocentiam, ut non patefaciat immane scelus fratrum, sed id quasi velo quodam obtendat, & cognato sanguini nullam infamie notam inurat.*

## T E X T V S.

**H**IS itaq; gestis accidit, ut regis Aegyptij pincerna & pistor peccarent aduersus dominum suum regem Aegypti, Iratusq; est Pharaon aduersus duos præfectos, nempe aduersus præfectum pincernarum, & aduersus præfectum pistorum. Et coniecit eos in carcerem, in domum principis Laniorum, in illum locum, in quo Ioseph uinctus tenebatur. Et præfecit princeps Laniorum illis Ioseph, qui & mi-

nistrabat eis, fueruntq; aliquot dies in carcere.

Viderunt autem vterq; pincerna & pistor regis Aegyptij somnia, eadem nocte, quisq; suum somnium, & vtriusq; somnium habebat suam interpretationem. Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, interrogauit praefectos Pharaonis, qui secum erant in carcere do-  
 mini sui dicens, Cur Robur fidei in æ-  
 tristior est hodie rumnis.

quàm solebat esse facies vestra, Qui  
 respondebant ei, Somnium vidimus, &  
 non est qui interpretetur nobis. Di-  
 xitq; ad eos Ioseph, Modestia Ioseph.  
 An non Dei sunt in-  
 terpretationes? Narrate quæso mihi.

Recitauit itaque Somnium pincer-  
 princeps pincerna- na.  
 rum somnium suum

ipsi Ioseph, dixitq; ei, Cum ego som-  
 niarem, en vitis erat coram me, & in  
 ipsa vite erant tres propagines. Vitis  
 vero erat similis germinanti, & ascen-  
 debat flos eius, & botri eius ad matur-  
 ritatem perduxerunt vvas. Sed & ca-  
 llix Pharaonis erat in manu mea, & ac-  
 ceptas



ceptas uvas expressi in calicem Pharaonis, & tradidi calicem in manum Pharaonis. Dixit vero ad eum Ioseph:

Hæc est interpreta-

Interpretatio.

tio eius, Tres propagines, tres dies sunt, post quos extollet Pharao caput tuum, & restituet te in gradum pristinum, vt tradas craterem in manum eius, iuxta pristinum morem, cum esses pocillator ipsius.

Tantum memento

mei cum tibi bene

fuerit, & præsta mi-

hi hanc misericor-

diam, vt mei mentio

nē facias apud Pha-

raonem, vt educat

me ex hac domo,

quia furtim sublatus

sum de terra Ebræo-

rum, neq; hic quic-

quam perpetravi,

propter quod me in hanc foueam con-

ijcerent.

Non negligit occasiones & media, per quæ possit liberari, & tamen paratus est ad obedientiam, si Deus velit ipsum diutius exerceri.

Confessio innocentie non pugnat cum patientia, quia crudelis est, qui famam negligit.

Videns vero pi-

storum princeps,

Somnium pistoris.

quod fausta esset interpretatio, ait ad

Ioseph: Et ego somnium habui. Erant

tria

tria canistra alba supra caput meum. Porro in superiori canistro erant varij cibi Pharaonis, qui fiunt arte pistoria, & aues comedebant eos ex canistro, quod erat supra caput. Respondit Ioseph & dixit: Hæc est interpretatio eius. Tria canistra sunt tres dies, post quos tollet Pharao caput tuum à te, ac suspendet te in cruce, & aues comedent carnem tuam.

Interpretatio.

Factum est igitur die tertio, qui erat natalis Pharaonis, ut appararet conuiuium omnibus seruis suis. Et leuauit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum inter seruos suos. Et principem pincernarum quidem restituit in pristinum locum pincernæ, ut traderet calicem in manum Pharaonis. Principem vero pistorum suspendit, sicut interpretatus eis fuit Ioseph. Nec recordatus est princeps pincernarum Ioseph, sed obliuioni tradidit eum.

Euentus respondens interpretationi Ioseph.

Nulla fides unquam miseros elegit amicos.

## CAPVT XLI.

## Argumentum.

*Hoc capvt continet gloriosum exitum maximorum agonum qui precesserunt. Nouit enim Dominus suos eripere ex tentatione, cumq; sit fidelis, id est, verax & beneficus, neminem sinit tentari supra vires, sed dat cum tentatione exitum, vt possimus vincere. Ac multis sententijs Salomonis haec liberatio Ioseph lumen affert, vt verbi causa, Gloriam antecedit humilitas. Item vt oculus videat et auris audiat, Deus facit utrunque. Quemadmodum enim impij tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant: ita Ioseph, Dauid, Daniel & alij pij humiliantur sub potenti manu Dei, vt postea maiore gloria ornentur. Deinde vt Ioseph fuit oculus videns, id est, gubernator excellens sapientia, virtute & felicitate: Sic Pharaon fuit auris audiens, id est, obtemperans salutaribus consilijs Ioseph Deo utrunq; gubernante.*

## TEXTVS.

**P**ost duos annos  
habuit Pharaon

Occasio libera-  
tionis Ioseph.

somni-

somnium. Putabat  
se stare iuxta fluui-  
um, & ascendebant  
de fluuio septem vac-

cæ aspectu pulchræ, & carne pingues,  
& pascebantur in locis palustribus.  
Post illas ascendebant aliæ septem vac-  
cæ de fluuio deformes & tenui corpo-  
re, stabantq; iuxta illas vaccas in ripa  
fluuij. Et vaccæ illæ quæ deformes  
erant atq; macilentæ deuorabant sep-  
tem vaccas quæ erant eleganti forma  
& pingues. Et euigilauit Pharao. Rur-  
sum vero obdormi-

ens somniauit secun-  
do, Et ecce septē spi-  
cæ pululabant in cul-  
mo vno plenæ qui-

dem & bonæ, & rursus septem spicæ  
tenues & percussæ vredine oriebantur,  
deuorabantq; septem spicæ tenuiores  
septem spicas crassas & plenas. Euigi-  
lauitq; Pharao & ecce somnium erat.  
Mane autem factō conturbatus est spi-  
ritus eius, mittensq; conuocauit om-  
nes magos Aegypti, & cunctos sapien-  
tes, narrauitq; eis Pharao somnia sua,  
nec erat qui ea Pharaoni interpretare-  
tur.

Primum somnium  
Pharaonis de septē  
vaccis, quas totidem  
macilentæ deuorât.

Alterum de sep-  
tem turgidis & præ-  
grandib. spicis, quas  
absument totidem  
aridæ atque exuccæ.

Locu-

Locutus est ergo præfectus pincer-  
 narum ad Pharaonem & dixit, Subit  
 hodie animum recordatio peccatorum  
 meorum: Pharao iratus aduersus ser-  
 uos suos, coniecerat me & præfectum  
 pistorum in carcerem, in domum prin-  
 cipis Laniorum. Somniabamus autem  
 somnium ego & ille eadem nocte. Vter-  
 que iuxta somnij sui interpretationem  
 somniabamus. Erat autem ibidem no-  
 biscum puer quidam Ebræus, seruus  
 præfecti Laniorum, cui cum recitare-  
 mus, interpretatus est nobis somnia  
 nostra, vtrique iuxta suum somnium.  
 Sicut autem interpretatus est nobis, sic  
 euenit. Nam ego restitutus sum loco  
 meo, ille vero in crucem actus est.

Mittens ergo Pha-  
 rao vocauit Ioseph, Psalmo 105.  
 & statim eduxerunt eum è fouea. De-  
 tonsus vero & mutatis vestibus venit  
 ad Pharaonem, & dixit Pharao ad Io-  
 seph, Somniaui somnium, nec est qui  
 interpretetur illud, & ego audiui loqui  
 de te, quod possis somnia quæ audieris  
 interpretari. Respondit Ioseph Pha-  
 raoni & dixit, Si-  
 ne me, **DEVS** re- Modestia Iosephi.  
 sponde-



spondebit, quæ ad pacem sunt Pharaonis.

Locutusque est Pharaon ad Ioseph, Cum somniarem, visus sum mihi stare in ripa fluij, & è fluuio ascendebant septem vaccæ pingues carne & forma pulchræ, pascebanturque in prato. Et rursus ascenderunt post illas septem aliæ vaccæ tenues quidem & admodum deformes ac macilentæ, quales non vidi in tota terra Aegypti. Et deuorauerunt vaccæ illæ macilentæ & deformes septem priores vaccas pingues. Et quanquam ingressæ essent in viscera illarum, tamen non poterat obseruatione notari illas in viscera istarum intrasse, sed aspectus illarum erat, vt prius, deformis, & euigilauit. Et iterum vidi in somnio meo septem spicas pululantes ex vno culmo plenas & pulchras. Et rursus septem spicæ aridæ, tenues, & orientali vento percussæ, pulularunt post priores. Et deuorauerunt spicæ illæ tenues septem spicas bonas. Hæc recitavi Magis, verum nemo fuit, qui interpretaretur mihi.

Et respondit Ioseph Pharaoni, Somnium

nium Pharaonis v. Enarratio som-  
num est, Quæ enim niorum.

facturus est Deus ostendit Pharaoni. Septem vaccæ elegantes, sunt septem anni, & septem spicæ bonæ itidem septem anni sunt. Vnum idemq; est somnium. Septem vero vaccæ macilentæ & tenues, quæ post priores ascenderunt, septem sunt anni, & septem spicæ vacuæ & Euro exhaustæ septem anni sunt famis. Hoc est verbum, quod locutus sum ad Pharaonem, id quod facturus est Deus ostendit Pharaoni. Ecce venient septem anni fertilissimi per totam terram Aegypti. Et deinde venient post illos septem anni famis, & obliuioni tradetur cuncta abundantia per terram Aegypti, & fames conficiet terram ipsam. Nec cognoscetur vbertas in terra ob famem illam superuenientem. Nam grauisissima erit. Quod vero iteratum est somnium super Pharaonem; significat quod firmiter decretum est hoc à Deo, & Deus festinabit vt id perficiat.

Nunc ergo prouideat sibi Pharao

Iteratio somnii  
signum certitudinis  
& celeritatis.

Consiliū Ioseph,  
quod transfert som-  
virum

virum aliquem prudentem & sapientem, & præficiat eum terræ Aegypti. Faciat & hoc Pharaos, Constituat præfectos super terram, & accipiat partem quintam de terra Aegypti per septem annos ubertatis. Congregent quoque omne alimentum per annos bonos sequentes, & conuehant frumentum ut sit in manu Pharaonis, & annonam per ciuitates conseruent. Eritque alimentum hoc ad conseruationem regionis septem annis famis, qui futuri sunt super terram Aegypti, ne terra fame conficiatur.

Placuit hic sermo Pharaoni & cunctis ministris eius. Et dixit Pharaos ad seruos suos, An inueniemus similem huic virum, in quo sit spiritus Dei? Dixitque Pharaos ad Ioseph, Quandoquidem Deus hæc omnia tibi nota fecit, nullus est, qui te prudentia & sapientia æquet. Tu igitur sis super domum meam, & ad tui oris imperium vniuersus populus meus mouebitur. Vno tantum regni folio maior te ero. Rursum dixit Pharaos ad Ioseph, En constitui te super totam terram Aegypti. Et auferens

rens Pharao annulum de manu sua, dedit illum in manum Ioseph, vestiuitque eum vestimentis byssinis, & collo torquem aureum circumdedit. Iussit quoque eum vehi in curru secundo, quem habebat, & praconium fecerunt de

Byssus genus est lini delicatissimi, Plin. lib. 19. cap. 1.

eo Abrech, & constituit ipsum super totam terram Aegypti. Et dixit Pharao ad Ioseph, Ego sum Pharao, Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem suum in omni terra Aegypti, vocauitque Pharao nomen Ioseph Zaphnath Paneah. Et dedit ei Asenath filiam Potipheris sacerdotis in On uxorem.

Abrech, id est, Lenis pater, qui non tantum est iustus, sed etiam beneficus & clemens.

Et perlustrauit Ioseph terram Aegypti. Erat autem Ioseph natus annos triginta, quando stetit coram Pharaone rege Aegypti. Et egrediens Ioseph a Pharaone peragrauit totam terram Aegypti. Et protulit terra septem annis ad

Hieronymus putat haec vocabula esse Aegyptia, & significare saluatorem mundi.

ἡθρολογία.

nis ad condendum. Ille vero collegit omne alimentum septem annorum, quod fuit in terra Aegypti, idque reposuit in urbibus, cuiuslibet agri prouentum conuexit in eam urbem, quam ambiebat ager. Et coaceruauit Ioseph frumentum valde multum, tanquam arenam maris, ita ut cessaret numerare, quia non erat numerus. Natiq; sunt Ioseph duo filij ante

quam veniret annus famis, quos illi peperit Asnath filia

Filii Ioseph, quorum alter ab obliuione, alter a fructu nomen accepit.

Potipheræ sacerdotis in On. Vocauitq; nomen primogeniti Manasse, ac si diceret, quoniam perfecit Deus ut uniuersi laboris mei, & uniuersæ domus patris mei obliuiscerer. Nomen vero secundi appellauit Ephraim dicens, Crescere me fecit Deus in terra afflictionis meæ.

Circumactis itaq; septem annis fertilibus, qui fuerunt in terra Aegypti, venire cœperunt septem anni famis, sicut prædixerat Ioseph. Et in toto orbe fames præualuit. In uniuersa autem terra Aegypti panis erat. Cumq; fames grassari inciperet

etiam



etiam in tota terra Aegypti, clamauit  
 populus ad Pharaonem pro alimentis.  
 Et dixit Pharaon ad omnes Aegyptios,  
 Ite ad Ioseph, & quicquid vobis ipse  
 dixerit, facite. Cum itaq; fames esset  
 in vniuersa illa terra, aperuit Ioseph  
 omnia ( *horrea* ) in quibus erat ( *anno-*  
*na* ) & vendidit Aegyptijs. Inualuerat  
 enim fames per terram Aegypti. Om-  
 nes quoq; regiones venerunt in Aegy-  
 ptum, vt emerent à Ioseph. Inualue-  
 rat enim fames per vniuersam terram.

## CAPVT XLII.

### Argumentum.

*NARRATIO* huius capituli ostendit  
 quanta res sit peccatum contra conscientiam,  
 & quantos pauores hominum animis incuti-  
 at, quoties pericula magno impetu in nos ir-  
 ruunt. Etsi enim fratres Ioseph hactenus sine  
 lege, vt Paulus loquitur, vixerunt, nec con-  
 siderarunt peccati sui magnitudinem: tamen  
 mole arumnarum oppressi, & nullum exitum  
 prospicientes, sentiunt horribiles cruciatus  
 conscientiae, qui verbis describi non possunt.

*Huius exempli consideratio commonefaciat nos, vt maiore cura & vigilantia vitemus lapsus contra conscientiam.*

## T E X T V S.

**E**T videns Iacob quod esset frumentum in Aegypto, dixit ad filios suos, Quare volipfos mutuo aspicitis, Dixitq; , En audiui, quod sit frumentum in Aegypto, Descendite illuc & emite nobis inde frumenta, vt viuamus & non moriamur. Descenderunt ergo decem fratres Ioseph, vt frumentum emerent ab Aegyptijs. Benjamin vero fratrem Ioseph non misit Iacob cum fratribus suis, Dixit enim, Ne forte occurrat ei exitium. Venerunt itaq; filij Israël ad emendum simul cum alijs qui veniebant. Erat enim fames in terra Chanaan.

Ioseph autem princeps erat in terra Aegypti, & ipse vendebat frumentum omni populo terræ. Accedentes itaq; fratres Ioseph prouersus terram inclinabant se ei. Videns autem Ioseph fra-

Euentus respondens somnio de vndecim manipulis adorantib. manipulum Ioseph, Gen. 37.

tres

tres suos, agnouit eos, & alienum se simulabat erga ipsos, loquebaturque cum eis dure, & dicebat ad eos, Vnde venistis? Responderunt, de terra Chanaan, vt emamus alimenta. Et agnouit Ioseph fratres, ipsi vero non agnouerunt eum. Et recordatus Ioseph somniorum, quæ de eis somniauerat, ait ad eos, Exploratores estis, venistisque vt nuditatem terræ videatis. Ad quem illi dixerunt, Non domine, sed serui tui escam emtum venerunt, Nos omnes filij sumus vnus viri, probi sumus, nec vnquam serui tui exploratores fuerunt. Quibus rursus ait, Non, sed venistis vt nuditatem terræ exploretis. Illi rursus dixerunt, Duodecim fratres serui tui sumus nos, filij vnus viri in terra Chanaan, & minimus natu etiamnum hodie cum patre nostro est. Vnus vero non superstes est. Et dixit ad eos Ioseph, Hoc est quod locutus sum ad vos, cum dicerem, Exploratores estis. Nunc vos probabo. Viuit Pharaon, Hinc non exhibitis, nisi veniat huc frater vester minimus natu. Mittite ex vobis vnum, qui adducat fratrem vestrum. Vos interim vinciti eritis, donec probentur

quæ dixistis, vtrum vera an falsa sint. Quod si minus, viuit Pharao, exploratores estis. Tradidit ergo illos in custodiam tribus diebus. Tertio demum die dixit ad eos Ioseph, Hoc facite vt viuatis ( Deum enim timeo ) Si probi estis, frater vester vnus vinciat in carcere vestro, vos autem abite & afferte familijs vestris frumentum contra famem, & fratrem vestrum minimum adducite, vt probentur verba vestra, ne pereatis, & fecerunt sic. Dixitque alter ad alterũ,

Vere rei sumus propter fratrem nostrũ.

Confessio peccati  
finis afflictionum .

Cum videremus angustiam animi illius, dum deprecaretur nos, & non audiimus, iccirco venit hæc afflictio super nos. Respondit eis Ruben dicens : An non dicebam vobis, Nolite peccare in puerum, & non audiebatis me ? Ecce sanguis eius exquiritur. Nesciebant autem quod Ioseph intelligeret, eò quod per interpretem loqueretur ad eos, Et auersus ab eis fleuit, reuersusq; ad eos, locutus est cum eis. Tulit autem ex eis Simeo-

Vis fraterni amoris in Ioseph.

Sicut Critias in nem,

nem, vinxitq; eum  
 ipsis cernentibus.

Theramenum, sic  
 Simeon in Ioseph  
 haud dubie fuit te-  
 terrimus.

Et præcepit Ioseph, vt impletis vasis illorum frumento, restituerent pecuniam illorum, cuiusq; in saccum suum, darentq; eis viaticum pro itinere, factumq; est eis sic. Imponentes igitur frumentum suum asinis suis, inde discesserunt. Et aperiens vnus saccum suum, vt daret pabulum asino suo in diuersorio, vidit pecuniam suam. Fuit enim in ore sacci sui. Et dixit ad fratres suos, Reddita est pecunia mea, En est in sacco meo. Et egressum est cor illorum, & obstupefacti dixerunt inter se,

Imago malæ con-  
 scientiæ.

Cur hoc fecit nobis Deus?

Venerunt itaq; ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & indicaerunt ei omnia, quæ illis acciderant, dicentes, Vir ille dominus terræ acerbè locutus est nobiscum, tractauitq; nos perinde quasi fuissimus exploratores terræ, Cui respondimus, Probi sumus, non exploratores. Sumus enim duodecim fratres filij patris nostri. Ac vnus quidem non est superstes, Mini-

Q5

mus



mus vero natu etiamnum hodie est apud patrem nostrum in terra Chanaan. Rursus dixit ad nos vir ille dominus terræ, In hoc experiar probi ne sitis, Relinquire apud me vnum aliquem ex fratribus vestris, & annonam tollite pro familijs vestris, & abite, adduciteq; fratrem vestrum natu minimum ad me, vt sciam vos non exploratores, sed probos esse, Tum reddam vobis fratrem vestrum, & in hac terra negociabimini. Cumq; saccos suos effunderent, quisq; reperit fasciculum pecuniæ suæ in sacco suo. Et videntes fasciculos pecuniarum suarum, tam ipsi quàm pater illorum consternati sunt. Dixitque ad eos Iacob pater illorum, Orbat<sup>is</sup> me, Ioseph non est superstes, nec Simeon adest, & Benjamin quoq; tollitis. Contra me sunt hæc omnia. Respondit Ruben patri suo: Si hunc tibi non reduxero, interfice duos filios meos, Trade illum in manum meam, & ego tibi eum restituum. Et ait: Filius meus non descendet vobiscum. Nam frater eius est mortuus, & ipse solus reliquus

Expostulatio Iacob cum filiis de sua orbitate.

liquus est, Si illi accideret pernicies in itinere quod ingressuri estis, deduceretis canos meos cum dolore in foueam.

## CAPVT XLIII.

### Argumentum.

*PROFONVNTVR in hoc capite duo exempla φιλοσογίας, unum patris Iacob erga filium natu minimum Benjamin, Alterum Ioseph erga fratres, inprimisq; erga fratrem uterinum Benjamin. Est enim φιλοσογία mirificus quidam amor erga cognatum sanguinem, non accensus consuetudine, ut amor erga alienos, sed naturale incendium est, quod Deus in intimo sinu cordium flagrare voluit, ut esset commonesactio de suo amore erga filium & erga nos. Percant igitur argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Habeant eas iustis de causis animi Christiani, nec philosophorum, Stoicorum, vel quorumcumq; similium consentiatur errori, ut preclare dixit Augustinus Tractatu 60. in Iohannem.*

### T E X T V S.

Interea

**I**Nterea fames omnem terram vehementer premebat, Cumq; absumsissent in cibo annonam, quam ex Aegypto aduexerant, dixit pater eorum ad eos: Reuertimini & emite nobis paululum alimenti. Iuda respondit ei & dixit, Contestando contestatus est vir ille & dixit, Non videbitis faciem meam, nisi frater vester veniat vobiscum. Si ergo miseris fratrem nostrum nobiscum, descendemus, & ememus tibi alimentum. Si vero non miseris, non descendemus. Nam vir ille dixit ad nos, Non videbitis faciem meam, nisi frater vester fuerit vobiscum. Dixit ergo Israël, Cur tam inique mecum egistis, vt indicaretis viro illi, quod superesset vobis adhuc frater? At illi responderunt, Diligenter percontatus est vir ille nos de familia nostra, dicens, Viuit ne adhuc pater vester? Estne vobis alius frater? vt secundum id quod interrogauerat respóderemus ei. Nunquid scire poteramus, quod dicturus esset, Adducite fratrem vestrum. Dixitq; Iuda ad Israël patrem suum, Mittere puerum mecum, vt surgamus & abeamus, viuamusq; & non moriamur nos  
& tu

& tu ac paruuli nostri. Ego spondeo pro eo, de manu mea require eum. Si eum non reduxero ad te, & in conspectu tuo collocauero, ero peccati reus in te omnibus diebus. Etenim nisi rem in posterum distuliffemus, iam secunda vice reuersi essemus. Et dixit ad eos Israël pater eorum, Siquidem omnino ita fieri oportet, facite hoc & accipite de nobilissimis fru-

Mandatum.

ctibus terræ in vasa vestra, & afferte viro illi munera, paululum resinæ, & paululum mellis, aromata & stacten, nuces & amygdalas. Sed & pecuniam duplicem accipite in manum vestram, & pecuniam quæ reposita est in saccos vestros deferte in manu vestra, quia fortasse erratum est, & fratrem vestrum tollite, surgite reuertiminiq; ad virū.

Precatio Iacob.

DEVS autem omnipotens det vobis miserationes coram viro illo, vt dimittat vobis fratrem vestrum alium, & hunc quoque Benjamin. Ego autem quasi orbatus absq; liberis ero.

Querela de sua orbitate.

Acceperunt itaq; viri illi munera & dupli-

duplicem pecuniam in manum suam, & ipsum Benjamin, & surgentes descenderunt in Aegyptum, & steterunt coram Ioseph, Quos cum ille vidisset, & Benjamin cum illis, dicebat præfecto domus suæ, Introduc viros illos in domum, & maëta, & para. Viri enim illi mecum prandebunt in meridie. Fecit vir ille, quemadmodum præceperat Ioseph, introduxitq; viros illos in domum Ioseph.

Ti-  
muerunt autem cum  
essent introducti in  
domum Ioseph, dicebantq; , Propter pecuniã ipsam, quæ in saccos nostros ab initio reposita est, introducti sumus, vt deuoluat in nos, irruatq; in nos, & capiat nos atq; asinos nostros, seruitutique subijciat.

Et accesserunt ad virum illum, qui erat dispensator domus Ioseph, locutiq; sunt cum eo in foribus domus & dixerunt, Mi domine, iam ante descende-  
ramus,

Imago malæ conscientie, de qua Augustinus in libris Iuarum Confessionum inquit, Iussisti Domine & factum est ita, vt pœna sui sit omnis animus inordinatus.

Et Cicero in 1. de Legibus: Sceleris est pœna tristis, & præter eos euentus qui sequuntur, per seipsa maxima est.



ramus, vt emeremus alimentum, cumq̃  
veniffemus in diuerforium, aperuimus  
faccos nostros, & ecce cuiusq̃ pecunia  
erat in sacco suo, iuxta pondus suum,  
quam reportauimus in manu nostra.  
Sed & aliam pecuniam portauimus in  
manu nostra, vt emamus alimentum.  
Nescimus autem quisnam pecuniam  
reposuerit in faccos nostros. At ille  
respondit, Pax vobis, Nolite timere,  
Deus vester, & Deus patris vestri de-  
dit vobis thesaurum in faccos vestros.  
Pecunia vestra peruenit ad me, edu-  
xitq̃ ad eos Simeonem. Deinde intro-  
duxit eos vir ille in domum Ioseph, &  
dedit eis aquam, vt lauarent pedes su-  
os, deditq̃ pabulum asinis eorum. Et  
illi parabant munus interim donec ve-  
niret Ioseph meridie. Audierant enim  
quod ibi manducaturi essent panem.  
Ingresso vero Ioseph in domum obtu-  
lerunt munera, quæ habebant in ma-  
nibus suis, procideruntq̃ coram illo in  
terram. At ille clementer resalutatis  
eis, interrogauit eos, Pater vester se-  
nex, de quo mihi dixeratis, rectene va-  
let, viuitne adhuc? Responderunt, Pa-  
ter noster seruus tuus recte valet, &  
viuit

viuit adhuc . Et inclinato vertice adorauerunt eum ad terram.

Sublatis autem oculis vidit Benjamin fratrem suum, filium matris suæ, dixitq; , Estne iste frater vester natus minimus, de quo mihi dixeratis, & ait, Deus misereatur tui fili mi. Festinauitq; Ioseph ( Exarserant enim viscera eius erga fratrem suum ) & quæsiuit vt fleret, & ingressus cubiculum suum fleuit ibi. Et lauans faciem suam exiit & continnit se, & ait, Apponite panem. Et posuerunt ei seorsim, illisq; seorsim. Aegyptijs quoq; qui cum eo comedebant seorsim, quia non possunt Aegyptij comedere cibum cum Ebræis, siquidem abominandum est hoc Aegyptijs. Sederunt itaq; è regione ipsius, primogenitus iuxta primogenituram suam, & minimus iuxta ætatem suam, miratiq; sunt viri illi quisq; cum proximo suo. Et tulit portiones à facie sua ad illos, auctaq; est portio Benjamin, præ omnium aliorum portionibus quintuplo, & bibetes inebriati sunt cum eo.

Inebriari phrasi scripturæ significat non *deuotio*, sed saturitatem, vt Psalmo 65. Visitasti terram & inebriasti

briasti eam, id est, saturasti pluuiam. Et Prouerb.  
10. Qui inebriat ipse quoque inebriabitur, id  
est, saturans pauperes saturabitur.

## CAPVT XLIIII.

### Argumentum.

*IN HOC capite precipuus locus est doctrina de usu afflictionum. Ut enim Ioseph vititur officiosa occultatione, ut in fratribus excitet agnitionem peccati: sic Deus affligit nos non ut pereamus, sed ut reuocemur ad poenitentiam. Etsi igitur omnis afflictio in presentia insuavis est: tamen exercitatis per eam affert fructum pacificum iusticie. Aut enim probat nos, aut humiliat, aut purgat, aut gloriam Dei illustrat.*

### T E X T V S.

**I**oseph autem præcepit curatori domus suæ & dixit, Imple saccos virorum illorum frumento quantum capere possunt, & repone cuiusque pecuniam in saccum suum. Scyphum præterea meum argenteum pone in saccum natu minoris, vnâ cum pecunia frumenti eius. Et fecit is iuxta mandatum Ioseph

R

seph

seph quod mandauerat. Mane cum il-  
lucesceret, emissi sunt viri illi cum asi-  
nis suis, Cumq; vrbe essent egressi,  
& haud longe abessent, ait Ioseph ad  
curatorem domus suæ, Surge & perse-  
quere viros illos, & cum deprehende-  
ris eos dic ad eos, Quare reddidistis  
malum pro bono? An non iste est è  
quo bibit dominus meus, & quo augu-  
rari solet? Male fecistis hac in re. Ap-  
prehendens ergo illos, locutus est cum  
illis verba ista. Et responderunt illi,  
Quare loquitur dominus meus talia  
verba? Absit hoc, vt serui tui rem istam  
designent. En pecuniam quam inueni-  
mus in saccis nostris reportauimus ad  
te ex terra Chanaan, & quomodo fu-  
rati essemus aurum vel argentum è do-  
mo domini tui? Apud quemcunq; ex  
seruis tuis hoc inuentum fuerit, is mo-  
riatur, & nos quoq; serui erimus domi-  
ni mei. Qui ait, Fiat ergo iuxta verba  
vestra. Apud quem inuentus fuerit scy-  
phus, is sit seruus meus, & vos innoxij  
eritis. Festinantes itaq; deposuerunt  
quisq; saccum suum in terram, & ape-  
ruit quisq; saccum suum. Et incepit  
scrutari à maiore natu, desijtq; in mi-  
nore,

nore, Et inuentus est scyphus in sacco Benjamin. At illi scissis uestib. suis rursus onerarunt afinos suos, & redierunt in ciuitatē. Iudas vero cum suis fratribus ingressus est in domum Ioseph, qui adhuc ibi erat, & prostrati sunt coram eo in terram. Quibus dixit Ioseph, Quidnam hoc est quod fecistis? An non scitis quod certissime augurari potest vir talis, qualis ego sum? Et dixit Iuda: Quid dicemus ad dominum meum, quid loquemur, aut qua ratione iustificabimus nos? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum, En serui sumus domini mei, Nos, inquam, & is in cuius manu inuentus est scyphus. Qui respondit, Hoc procul sit à me, vt istud faciam. Is in cuius manu inuentus est scyphus, erit seruus meus. Vos autem ascendite ad patrem vestrum. Tum accessit ad eum Iuda & dixit, Mi domine, Liceat mihi quæso seruo tuo loqui verbum coram domino meo, & ne inflammetur ira tua aduersus seruum tuum. Tu enim es perinde ac ipse Pharao.

Interrogauit do-

R 2

Oratio Iudæ ple-  
minus



minus meus seruos na ardentissimorum  
 suos dicens, Nun- affectuum.

quid est vobis pater, aut frater? Et di-  
 ximus ad dominum meum, Est nobis  
 pater senex, & puer  
 paruus, qui natus est

*Narratio.*

ei in senectute, cuius frater mortuus  
 est, relictusq; est ipse solus ex matre  
 sua, quem & pater suus vnice diligit.  
 Et dixisti ad seruos tuos, Adducite eum  
 ad me, vt ponam oculum meum super  
 eum. Diximus vero ad dominum me-  
 um, Non potest puer deserere patrem  
 suum. Nam si desereret patrem suum,  
 moreretur ille. Et dixisti ad seruos tu-  
 os: Si non descenderit frater vester  
 minimus natu vobiscum, non videbitis  
 amplius faciem meam. Factum ergo  
 est, vt ascenderemus ad seruum tuum,  
 patrem meum, & indicaremus ei verba  
 domini mei. Dixit autem pater noster,  
 Redite & emite nobis parum alimenti,  
 & respondimus, Non possumus descen-  
 dere. Si vero frater noster minimus  
 nobiscum fuerit, descendemus simul,  
 Nam non possumus videre faciem viri  
 illius, si frater noster minimus non fue-  
 rit nobiscum. Et dixit seruus tuus pa-  
 ter

ter meus ad nos , Vos scitis quod vxor mea duos mihi peperit , vnus quidem egressus est à me , & dixistis , Lacerando laceratus est , & non vidi eum hactenus. Quod si tollitis istum quoq; à me , & si quæ perniciës ei acciderit , deducetis caniciem meam cum afflictione in foueam.

Nunc igitur si ve- Epilogus.  
nero ad seruum tuum patrem meum , & puer ille nobiscum non fuerit ( cum anima illius ex huius anima dependeat ) videritq; puerum non adesse , morietur , deducetq;  
serui tui caniciem <sup>ad d.</sup>  
r. Ab ætate patris.  
serui tui patris nostri cum dolore ad sepulchrum . Etenim seruus tuus spondit pro puero coram patre meo , dicens , Si non reduxero eum ad te , re- I I. A reatu propriæ conscientie.  
us ero in patrem meum perpetuo .

Nunc igitur remaneat quæso seruus tuus pro puero illo , vt sit seruus domini mei , & puer ascendat cum fratribus suis . Nam quomodo possem ascendere ad patrem meum , si puer non fuerit mecum ? Nisi forte videre velim

malum, quod acci-  
det patri meo.

III. A spectaculi  
indignitate.

## CAPVT XLV.

### Argumentum.

*QVEM ADMODVM cap. 41. descripta est catastrophe arumnarum Ioseph, ita in hoc capite describitur catastrophe afflictionum Iacob. Nam Ioseph non modo clementer fratres in gratiam recipit, sed etiam obtemperat legi ciconiarum, quam recitat Aristophanes in Auibus, Oportet natos hanc referre gratiam parentibus, ut senes vicissim nutriant. Deinde Pharaeo hospitium familie Iacob tranquillum liberaliter promittit. Ita vestigatio Iacob in inuentionem, & pulsatio in apertionem desinit iuxta dictum, Querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Non enim dat Dominus in eternum fluctuationem iusto, nec quenquam sinit tentari supra vires, ut testantur non modo dicta, sed etiam exempla totius scripturae diuinitus tradite.*

### TEXTVS.

**N**ON potuit autem Ioseph se continere coram omnibus, qui stabant

bant iuxta illum, quin clamaret, Remouete omnes viros à me. Et non mansit vir vllus cum eo, dum se cognoscendum præberet Ioseph fratribus suis, emittebatq; vocem suam cum fletu, & audierunt Aegyptij, audiuit quoq; domus Pharaonis. Et dixit Ioseph ad fratres suos, EGO SUM

I O S E P H , Viuitne adhuc pater meus? Et non potuerunt ei

Ioseph ponit personam principis cū induit personam fratris.

respondere, adeo terrore erant obstupefacti à facie eius. Dixit ergo Ioseph ad fratres suos, Accedite quæso ad me, Et accefferunt, & dixit, Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum. Nunc igitur nolite mœrore confici, & non sit

ira in oculis vestris quod me huc vendidistis. Quoniam ad vitam misit me Deus ante vos. Iam enim duobus annis

Exemplū clementiæ in Ioseph.

fames fuit in terra, Restant autem adhuc quinque anni, in quibus neq; agros colent, neq; metent. Misit ergo me Deus ante vos, vt

ponerem vobis reliquias in terra, & vt

Ioseph est conseruator reliquiarū Ecclesiæ sui temporis.

R 4 vitam

vitam vestram feruarem liberatione magna. Itaq; vos non misistis me huc, sed DEVS, qui & posuit me patrem Pharaoni, & dominum totius domus ipsius, & dominatorem per totam terram Aegypti.

Festinate ergo, & Mandatum.  
ascendite ad patrem meum, & sic dicitis illi, Filius tuus Ioseph sic locutus est, Constituit me Deus dominum totius Aegypti. Descende igitur ad me, ne differas. Habitabis in terra Gosen, erisq; penes me, tu & filij tui, & nepotes tui, & armenta tua, & quaecunq; habes. Et ibi te pascam, quoniam restant adhuc quinq; anni famis, ne forte inopia labores tu, & domus tua, & cuncta quæ habes.

Ecce oculi vestri Confirmatio à  
notitia intuitiua.  
vident, simulq; oculi fratris mei Benjamin, quod os meum loquitur ad vos. Referetis ergo patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, & omnia quæ vidistis. Accelerate & adducite patrem meum huc. Et ruit in collum Benjamin, fleuitq;. Sed & Benjamin fleuit super collum illius. Et osculans omnes fratres suos fleuit super



per eos. Et postea locuti sunt fratres eius cum eo.

Et hæc fama audita est in domo Pharaonis, vt dice-

Beneficentia heroica Pharaonis erga Ecclesiam.

rent, Venerunt fratres Ioseph, & placuit Pharaoni & seruis eius. Dixitq; ad Ioseph Pharaon, Dic ad fratres tuos, hoc facite, onus imponite iumentis vestris, & euntes pergite in terram Chanaan, & adducite patrem vestrum, & domos vestras, & venite ad me, & dabo vobis bonum terræ Aegypti, vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam illis, facite hoc, accipite vobiscum plaustra è terra Aegypti pro paruulis & vxoribus vestris, & aduehite patrem vestrum & venite. Nec pœniteat vos si suppellectilem vestram post vos relinquatis, quia bonum vniuersum terræ Aegypti vestrum erit.

Fecerunt autem sic filij Israël, deditq; eis Ioseph currus iuxta mandatum Pharaonis. Dedit etiam eis com meatum pro itinere. Dedit insuper singulis vestes mutatorias. Ipsi autem Benjamin dedit trecentos argenteos, & quinque mutatorias vestes. Patri au-

R 5 tem suo

tem suo misit decem asinos gestantes de bonis Aegypti, & decem asinas gestantes frumentum, panem & cibum, pro patre suo ad iter.

Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait, Ne rixemini in via. Ascenderunt itaq; ex Aegypto, & venerunt in terram Chanaan ad patrem suum, & nunciarunt ei dicentes, Ioseph adhuc viuit, & dominatur per totam terram Aegypti. Vacillabat autem cor eius, non enim credebat illis. Et locuti sunt ad eum cuncta verba Ioseph, quæ locutus fuerat ad ipsos. Cumq; vidisset plaustra quæ miserat Ioseph ad vehendum eum, reuixit spiritus Iacob patris eorum, Dixitq; Israël, Sat superq; quod Ioseph filius meus adhuc viuit, ibo & videbo eum priusquam moriar.

## CAPVT XLVI.

### Argumentum.

*ET SI Iacob ardentem expetit conspectum & dulcissimam consuetudinem Ioseph: tamen egre auellitur à terra Canaan sibi & patribus*

tribus promissa, & non sine consternatione migrat in Aegyptum, cum sciret futurum esse, ut posteri ipsius horribili seruitute opprimerentur ab Aegyptijs. Ideo diuina consolatione confirmatur, & singulis curis remedia maxime congruentia opponuntur. Ut autem Ecclesia Iacob in descensu fuit pusillus grex, sic in reditu post annos ducentos & quindecim in immensum creuit.

## T E X T V S.

**P**rofectus itaq; Israël cum omnibus quæ habebat, venit in Beërseba, & obtulit sacrificia Deo patris sui Isaac. Et dixit Deus ad Israël nocte in visione, Iacob, Iacob. Et respondit, Ecce assum. Et dixit, Ego sum Deus, Deus patris tui, ne metuas descendere in Aegyptum, quoniam in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum in Aegyptum, & reducam te, & Ioseph ponet manum suam super oculos tuos.

Et surrexit Iacob de Beërseba, tuleruntq; filij Israël Iacob patrem suum, & paruulos suos atq; vxores suas in vehiculis, quæ miserat Pharao ad vehendum

dum eum. Et tollentes pecora sua, & omnem substantiam suam, quam comparauerant in terra Canaan, venerunt in Aegyptum, Iacob, & vniuersum semen eius cum eo. Filij eius & nepotes eius cum ipso, sed & filias & neptes ex filijs, omne deniq; semen suum duxit secum in Aegyptū.

Hæc sunt nomina filiorum Israël, qui

Hic catalogus filiorum & nepotum Iacob intertextitur historiæ propter Genealogiam Christi.

venerunt in Aegyptum, Iacob cum filijs suis. Primogenitus Iacob Ruben. Filij vero Ruben, Hanoch, Pallu, Hezron & Charmi. Filij Simeon, Iemuël, Iamin, Ohad, Iachin, Zohar & Saul filius Chananitidis.

Filij Leui, Gerson, Cahat & Mæari. Filij Iuda, Ger, Onan, Sela, Perez atq; Sarah. Mortuus vero est Ger & Onan in terra Chanaan. Filij autem Perez fuerunt Hezron atq; Hamul.

Porro filij Ifaschar, Thola, Phua, Iob & Simron.

Filij vero Sebulon, Sered, Elon & Iahleël. Hi sunt filij Leæ, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia, vna cum Dina filia sua. Omnes animæ filiorum eius

eius & filiarum eius, triginta tres.

Filij autem Gad, Ziphion, Haggi, Suni & Ezbon, Eri, Arodi atq; Arei.

Filij Afer, Iemna, Iesua, Iesui, Bria, atq; Serah soror eorum. Filij autem Bria, Heber & Malchiël. Hi sunt filij Zilpa, quam dedit Laban Leæ filiaæ suæ, peperitq; istos Iacob, sedecim videlicet animas.

Filij Rahel vxoris Iacob erant Ioseph & Benjamin. Natiq; sunt ipsi Ioseph in terra Aegypti Manasses & Ephraim, quos peperit ei Asnath filia Potipheris sacerdotis in On.

Filij Benjamin, Bela, Becher, Asbel, Gera, Naaman, Ehi, Ros, Mupim, Hupim, & Ard. Hi filij Rahel quos peperit ipsi Iacob, omnes animæ quatuordecim.

Filij Dan, Husim.

Filij Naphthali, Iahzeël, Guni, Iezer, & Sillem. Hi filij Bilha, quam dedit Laban Raheli filiaæ suæ, peperitq; istos ipsi Iacob. Omnes animæ septem.

Itaq; omnes animæ, quæ venerunt cum Iacob in Aegyptum, egressæ de femoribus eius, ( præter vxores filiorum Iacob ) Omnes inquam sunt sexaginta



ginta sex. Filij vero Ioseph, qui nati sunt ei in Aegypto, duæ animæ. Omnes itaq; animæ domus Iacob, quæ venerunt in Aegyptum sunt septuaginta.

Misit autem Iacob Iudam ante se ad Ioseph, vt instrueret eum ante se in Gosen, veneruntq; in Gosen. Et apprans Ioseph currum suum ascendit obviam Israëli patri suo in Gosen, vidensq; eum ruit in collum eius, & fleuit super collū eius vehementer. Et dixit Israël ad Ioseph, Iam lætus moriar, posteaquam vidi faciem tuam, & quod tu adhuc vivis.

Dixitq; Ioseph ad fratres suos, & ad domum patris sui, Ascendam & indicabo Pharaoni, dicamq; ei, Fratres mei, & domus patris mei, qui fuerunt in terra Chanaan, venerunt ad me, & sunt pastores gregum. Quia sunt homines dediti rei pecuariae, adduxeruntque greges suos, armenta sua, & omnia quæ habent. Cumq; vocaverit vos Pharaon, & dixerit, Quod est opus vestrum? Respondebitis, Viri tractantes rem pecuariam sunt serui tui à pueritia nostra, vsq; in præsens, non solum

Congressus Iacob & Ioseph.

lum nos, sed & patres nostri, vt scilicet habitare possitis in terra Gosen, quoniam abominandi sunt Aegyptijs cuncti pastores ouium.

## CAPVT XLVII.

### Argumentum.

*IN HOc capite obseruetur insigne di-  
ctum, quod testatur curriculum huius vite  
non modo fugacissimum, sed etiam miserrimum  
esse, vt in versu dicitur:*

*Vita fugax hominũ magnorum plena dolorũ.  
Deinde consideretur exemplum pietatis Ioseph  
erga parentem & fratres. Nam omnibus  
in rebus habet rationem, vt familie paterne  
rectissime consulatur & prouideatur.  
Postremo Ioseph, attribuens reditus collegio  
sacerdotum, admonet principes & Respublicas,  
vt ministris Euangelij victum & defensionem  
prestent.*

### T E X T V S.

**V**Enit itaq; Ioseph & indicauit Pharaoni, dixitq; , Pater meus & fratres

Reuerentia Ioseph erga regem .

fratres mei, greges eorum atq; armenta eorum, vnà cum omnibus quæ habent, venerunt è terra Chanaan. Accipiens autem minores natu è fratribus suis, nempe quinq; viros, statuit eos coram Pharaone. Dixit autem Pharao ad fratres Ioseph, Quod est opus vestrum? Et responderunt Pharaoni, pastores ouium sunt serui tui, & nos & patres nostri, dixeruntque ad Pharaonem, Vt incolamus hanc regionem venimus, non enim sunt pascua gregibus, quos habent serui tui, quoniam grassatur fames in terra Chanaan. Liceat igitur quæsumus seruis tuis vt habitent in terra Gosen. Et dixit Pharao ad Ioseph, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Aegypti tibi patet, cura vt pater tuus & fratres tui habitent in melioribus locis terræ. Habitent inquam in terra Gosen. Quod si nosti inter eos esse viros industrios, præfice eos pecori meo.

Adduxit quoq; Ioseph patrem suum Iacob, & statuit eum coram Pharaone, & Iacob benedicebat Pharaoni. Dixit autem Pharao ad Iacob, Quot sunt

Colloquium regis cum Iacob.  
dies

dies annorum vitæ tuæ? Iacob respondit Pharaoni, Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt. Pauci quidem & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, nec attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, quibus fuerunt peregrini. Et benedicens rursus Iacob Pharaoni, egressus est à conspectu eius.

Sancti sunt peregrini in hac vita mox ituri in vitam æternam.

Assignauit itaq; Ioseph patri suo & fratribus suis locum, in quo habitarent, & dedit eis possessiones in terra Aegypti, in optimis locis regionis, nempe in terra Raëmses, quemadmodum mandauerat Pharaon. Et præbuit Ioseph cibum patri suo, & fratribus suis, & toti domui patris sui ad os paruuli.

Ad os paruuli, Ebraismus, id est, Sicut paruuli non colentes agrum a parentibus aluntur: sic Ioseph præstitit familiæ paternæ officia renutricationis.

Non erat autem panis per vniuersam terrâ Aegypti, quoniam grassabatur famemes adeo, vt non solum Aegyptus, sed & regio Chanaan propter famem contabesceret. Ioseph

S igitur

igitur collegit omnem pecuniam, quæ inueniebatur in terra Aegypti, & in terra Chanaan pro frumento quod illi emebant, & intulit Ioseph illam pecuniam in domum Pharaonis. Cumq; deficeret pecunia in terra Aegypti, & in terra Chanaan, venerunt omnes Aegyptij ad Ioseph & dixerunt, Da nobis panem. Cur morimur ante te, cum pecunia defecerit. Respondit Ioseph, Date pecora vestra, & quandoquidem defecit pecunia, dabo vobis pro pecoribus vestris. Adduxerunt igitur pecora sua ad Ioseph, & dedit Ioseph illis frumentum pro equis, pro ouibus, pro armentis, & pro asinis, & sustentavit illos cibo illo annum pro omnibus pecoribus suis.

Exacto illo anno, venerunt ad eum secundo anno, dixeruntq; ad illum, Non cælabimus hoc dominum meum, exhaustam esse pecuniam, deinde & possessiones pecorum esse apud dominum meum, nec reliquum est coram domino meo, nisi corpora nostra, & agri nostri. Cur morimur te spectante, non solum autem nos, sed & agri nostri. Emē nos & agros nostros pro cibo, erimus-



erimusq; & nos & agri nostri seruien-  
tes Pharaoni, modo da semen vt viua-  
mus, & non moriamur, neue terra in  
solitudinem redigatur. Emit ergo Io-  
seph omnes agros Aegypti Pharaoni,  
quoniam vendiderunt Aegyptij quisq;  
agrum suum, eò quod fames duriter  
premebat eos, factaq; est terra Pha-  
raonis. Populū ve-  
ro ipsum transtulit  
in ciuitates ab ex-  
tremis finib. Aegy-  
pti, vsq; ad nouissimos terminos eius.

Translatio populi  
testimonium serui-  
tutis.

Sed terram sacerdotum non emit,  
quoniam certum demensum erat à  
Pharaone constitutum, vt comederent  
demensum quod largitus erat eis Pha-  
rao, & ideo non vendiderunt terram  
suam.

Et dixit Ioseph ad populum, Ecce  
emi vos hodie, simulq; terram vestram  
Pharaoni. En vobis  
semen, vt seminetis  
terram. Ex prouen-  
tu vero eius Quintam dabitis Pharao-  
ni, quatuor partes vestrae erunt pro se-  
mine agri & in cibum familijs & libe-  
ris vestris. Qui responderunt, Tu ser-  
uasti

Ordinatio tribu-  
torum.

ualli nos in vita, nos erimus serui Pharaonis, modo inueniamus gratiam in oculis domini mei. Fecit autem Ioseph hoc in statutum super terram Aegypti vsq; in hunc diem, vt quinta pars esset Pharaonis, nisi quod terra sacerdotum, atq; ea sola, non facta est Pharaonis.

Habitauit itaq; Israël in terra Aegypti, nempe in Gosen, & possederunt eam, & creuerunt atq; multiplicati sunt vehementer. Vixitq; Iacob in terra Aegypti decem & septem annis, Fueruntque dies Iacob & anni vitæ eius

*ἡσυχολογία.*

centum & quadraginta septem anni. Appropinquarent autem dies Israël vt moreretur, & vocauit filium suum Ioseph, dixitq; ei, Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam subter femur meum, & facies mihi misericordiam cum patrib. meis. Transferas ergo me ex Aegypto, atq; sepelias me in sepulchro illorum. Et respondit Ioseph, Ego faciam iuxta mandatum tuum. Et ille ait, Iura mihi. Et iurauit ei. Inclinauit ergo se Israël versus caput lecti.

## CAPVT XLVIII.

## Argumentum.

*IACOB* adoptat duos filios Ioseph Ephraim & Manassen, & hoc ritu testatur eos esse heredes promissionum, quæ patribus factæ sunt. Obseruanda est autem precatio Iacob cum inquit, Deus benedicat his pueris, & Angelus, qui eripuit me de cunctis malis. Hic & Deum nominat, & mentionem facit angeli, videlicet filij Dei missi ad patres, & hunc affirmat non esse creaturam, Quia dicit se per hunc angelum à cunctis malis, à peccatis & morte liberatum esse. Hoc testimonium de filio Dei saepe cogitemus, ut sciamus, vere filium esse ἰϕις ἀυϑου, etiam ante assumptam humanam naturam, & semper affuisse Ecclesie, sicut & Irenæus inquit, Semper affuit generi humano ἄβυσ.

## TEXTVS.

**P**ost hæc gesta nunciatum est Ioseph, En pater tuus agrotat. Et tulit secum duos filios suos Manasse & Ephraim, idq; nunciatum est Iacob,

Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Et confortauit sese Israël, & resedit super lectum. Dixitq; Iacob ad Ioseph, Deus omnipotens apparuit mihi in Lusa, in terra Chanaan, benedixitq; mihi & dixit, Ecce ego faciam te crescere, & multiplicabo te, daboq; vt sis cœtus populorum, & tradam terram hanc semini tuo post te, vt possideant eam perpetuo. Et nunc duo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequã huc venirem ad te, mei futuri sunt, Ephraim scilicet & Manasse, sicut Ruben & Simeon. Filij autem tui quos post eos genueris, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Et cum redirem ex Mesopotamia, mortua est Rahel in terra Chanaan in via, cum adhuc iugero agri abessem ab Ephrata, sepeliuic; eam ibidem in via Ephrata, quæ est Bethlehem. Et videns Israël filios Ioseph dixit, Qui sunt isti?

Exemplum adoptionis.

Ephrata, quæ & Bethlehem nominatur, significat vberitatem, terram frugiferam & pullulentem. In vniuersa enim creatura nihil fuit fecundius quã terra Ephratea, id

Respon-

Respondit Ioseph patri suo, Filij mei sunt, quos \* dedit mihi Deus in hoc loco. Et dixit, adduc eos ad me, vt bene-

est, Bethlehem, vbi natus est Iesus Christus Dominus totius vniuersitatis & redemptor omnium.

\* Liberi dona Dei  
Psäl. 127.

dicam illis, Oculi enim Israëli caligabant præ senio, nec poterat videre. Et adduxit illos ad eum. Iacob autem osculum dedit eis, & eos est complexus, dixitq; ad Ioseph, En faciem tuam vidi, quod nunquam cogitasset, & ecce Deus ostendit mihi etiam semen tuum.

Deus cumulatius auget sua munera quam a nobis postulata sunt.

Et eduxit Ioseph eos de gremio eius, & pronus inclinavit ad terram erga faciem eius. Accepit autem Ioseph vtrunque, Ephraim in dextra sua ad sinistram Israëlis, & Manasse in sinistra sua ad dextram Israëlis, & duxit ad illum. Extendens autem Israëli dextram suam, posuit super caput Ephraim, qui erat minor natus, & sinistram suam super caput Manasse, sciens ac prudens dirigens manus suas, tametsi Manasses esset primogenitus.

Ritus impositionis manuum antiquissimus.

S 4 Et



Et benedixit Iacob ipsi Ioseph & ait, Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Abraham & Isaac. Deus qui pascit me omni vita mea in hunc vsq; diem, Angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant & multiplicentur in ipsa terra.

Videns autem Ioseph, quod poneret pater suus manum suam dextram supra caput Ephraim, ægre tulit, & apprehensa manu patris sui, transferre eam voluit de capite Ephraim super caput Manasse. Et dixit Ioseph ad patrem suum, Non sic mi pater, Nam iste est primogenitus, pone dextram tuam super caput eius. Sed pater eius renuit & dixit, Scio fili mi, scio. Iste quoq; in populum euadet, & magnus erit. Veruntamen frater eius natus minor erit illo maior, & semen eius crescet in multas gentes. In te benedicet Israël, vt dicat, Ponat te Deus sicut Ephraim, & sicut Manassen. Et præposuit Ephraim ipsi Manasse.

Dixit vero Israël ad Ioseph, En ego mori-

mior, & Deus erit vobiscum, reducetq; vos ad terram patrum vestrorum. Et ego dedi tibi portionem vnam supra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi gladio meo & arcu meo.

## CAPVT XLIX:

### Argumentum.

*IACOB* senio confectus & suum diem obiturus conuocat filios ad cognoscendas prædictiones suas, ut discant ex comminationibus, que proponuntur tribus filiis Ruben, Simeon & Leui, iram Dei aduersus peccatum, ex reliquorum vero promissionibus Dei misericordiam. Sicut enim correlatiua sunt comminatio diuina & timor, ita promissio diuina & fides habent se correlatiue. Esi autem nomen Silo alij aliter interpretati sunt: tamen sequens particula manifeste ostendit intelligi ducem, qui etiam gentes ad Deum placatum congregabit, qui conculcabit caput serpentis, abolebit peccatum & mortem, & restituet iusticiam & vitam eternam. Recte igitur vocabulum Silo redditur appellatione salutis & saluatoris. Cum autem recentes Iudei varijs sophismatum prestigijs dulcissi-

mam promissionem de Christo corrumpere so-  
 leant, teneantur hac testimonia ad refutan-  
 do: Iudeos, que diligenter collecta sunt à Pe-  
 tro Galatino libro 4. cap. 4. & 5. I. Chal-  
 daica versio inquit: Non præteribit auctor  
 domini de domo Iuda, & scriba de filiis filio-  
 rum eius usq; in seculum, donec veniat Mes-  
 sias, cuius est regnum, & ei obedient gentes.  
 II. Commentarius Maior in Genesin sic ad  
 verbum dicit: Donec veniat Schilo, Ipse est  
 Messias, & ad eum congregabunt se gentes,  
 quia ipse iudicabit orbem. III. In exposi-  
 tione Threnorum Ieremia super illud Thre-  
 norum 1. Quia elongatus est à me consolator  
 conuertens animam meam, sic dicitur, Quod  
 est nomen Messie? Qui de domo Rabi  
 Sela erant, dixerunt, Schilo est nomen eius,  
 sicut dictum est Gen. 49. Donec veniat Schi-  
 lo, id est, Messias. IIII. Rabi Moses  
 in commentario Geneseos enarrans hunc lo-  
 cum sic inquit, Et scriba de femore eius. Hi  
 sunt Sanhedrin sedentes in consistorio ad iu-  
 dicandum iudicia animarum, qui nunquam  
 de terra Iuda auferentur donec veniat Schi-  
 lo, qui est Messias. His testimonijs confir-  
 mati reliquorum Iudeorum insulas cauilla-  
 tiones non vnius aestimemus assis.

## T E X T V S.

**V**Ocauit autem Iacob filios suos & ait eis, Congregamini vt annunciam vobis quid euenturum sit vobis posteris temporibus. Congregamini & audite filij Iacob, Audite Israël patrem vestrum.

**RUBEN** primogenitus meus, Tu virtus mea, & principium roboris mei, excellentia oblationis & potestatis. Diffluēs sicut aqua, non excelles. Quia ascendisti lectū patris tui, Ibi stratum meum prophanasti ascendendo.

**SIMEON & LEVI** fratres, arma violenta macharæ eorum. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non versetur gloria mea.

Ruben propter incestam consuetudinem cum nouerca priuatur sacerdotio & regno, quod ad primogenitum pertinebat. Hanc prædictionem Moses cap. 33. Deut. sic interpretatur, Viuat Ruben & non moriatur, & populus eius sit cœtus exiguus.

Sicut Ruben punitur propter confusionem libidinum, ita Simeon & Leui accusantur propter scuitiam, quam & ipsi in Ioseph exercuerunt, & posterorum in Christum. Narrant enim Iu-  
Quoni-

Quoniam in furore suo occiderunt virum, & pro libidine sua perdiderunt bouem. Maledictus furor eorum, quoniam vehemens est, & indignatio eorum, quia dura. Distribuem eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.

IUDA tu es, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruice hostiū tuorum, genu flectent tibi filij patris tui. Catulus leonis Iuda, de præda filij mi ascendisti, demisit se & accubuit veluti leo, & tanquam vetulus leo. Quis excitabit eum?

Non auferetur sceptrum de Iuda, & Legislator de pedibus eius, donec veniat SCHILO, & ad illum gentes congregabuntur.

dam proditorem natum esse in familia Simeonis. Pontifices vero, qui Christum morte multarunt, constat fuisse posteros Leui.

Vaticinium de Iuda duas partes complectitur, vna est de regno politico, cuius possessionem Iuda postérité retinuit vsque ad Herodem. Nam & Macabri maternam originem ex familia Iuda ducunt. Altera pars est dulcissima concio de Messia, in qua septem loci obseruandi sunt. I. De tempore, quo Messiam venire oportuit, & de fine politix Iudaicæ.

II. De persona Messia, quæ describitur appellatione Schilo. III. De regno Christi. IIII. De



De vocatione gentium. v. De donatione Spiritus sancti. vi. De cruce Ecclesie & piorum singulorum. vii. De efficacia Euangelii.

Ligabit ad vitem pullum suum, & ad generosum palmitem filium asinae suae. Lauabit in vino stolum suam, & in sanguine vuae pallium suum. Rubicundiores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

Dentes Christi non erunt ferrei sed lactei, quia Euangelium proponit dulcissimam consolationem, qua velut lacte materno nutritur, augetur & corroboratur Ecclesia.

ZEBVLON ad portum maris habitabit & ad stationem nauium, pertingens vsq; ad Sidonem.

ISASCHAR affinis offeus accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram

Ligabit ad vineam, id est, Ecclesia inebriabitur, non quidem vino, sed Spiritu sancto, Ephes. 5. Act. 2.

Lauabit in vino, id est, Christus pendebit in cruce, & Ecclesia erit sociatrix arumnarum Christi, Coloss. 1.

Dentes eius lacte candidiores, quasi

Deus dat bona corporalia, neque eadem, neque eodem modo. Vt Zebulon dat opes ex mercatura, Isaschar ex agricultura. Porro Sidon antiquissima vrbs nomen habuit a venatione, & deleta est ab Ocho rege Persarum, qui cum eam prodicione cepisset, multitudo

quod

quod esset amœna,  
Inclinavit humerum  
suum ad gestandum,  
factusq; est tributis  
feruens.

ipsa urbem incen-  
dit, & perierunt in-  
cendio circiter qua-  
draginta millia ho-  
minum.

DAN iudicabit  
populum suū, quem-  
admodum alia tri-  
bus Israël. Futurus  
est Dan serpens in via, & coluber in  
femita, mordens calcaneos equi, vt  
cadat eques eius retrorsum. Expecta-  
bo salutem tuam Ô DOMINE.

Samson ex tribu  
Dan hanc prædictio-  
nem gloria rerum  
gestarum compro-  
bavit.

Cuneus latronū  
grassabitur in GAD,  
at ipse tandem vi-  
ctoria potietur.

Gad habitavit in  
finibus Israël. Ideo  
latrunculi Arabici  
sæpe in eam partem  
terræ Canaan im-  
pressionē fecerunt.  
Sed fortiter ac feli-  
citer repressi sunt a  
posteris Gad.

De A SER pinguis  
panis illius, & præ-  
bebit delicias regi-  
bus.

Debora & Barac  
ex tribu Naphthalī  
vicerunt Sisaram du-  
cem regis Iabin, &  
victoriam suauissi-

NAPHTHALI  
cerua emissa dans e-  
loquia pulchritudi-  
nis.

mo carmine celebrarunt, Iudicum 5.

Filius accrescens

Regnum Ephraim  
Ioseph,

Ioseph, filius accrescens iuxta fontem. Filia superbe incedunt in gubernatione. Irritarunt eum, contenderunt cum eo, & odio persecuti sunt eum peritissagittarij. Mansit tamen arcus eius firmus, roborataque sunt brachia manuum eius, per manum potentis in Iacob.

erit florentissimum, & omnibus nervis rerum gerendarum instructum.

Inde pastor, lapis Israël. A Deo patris tui auxilium tuum. Et omnipotens benedixit tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi cubantis infra, benedictionibus vberum & matricis. Benedictiones patris tui maiores sunt quam benedictiones maiorum meorum usque ad desiderium collium in mundo, eruntque super caput Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Deus immensa misericordia in regno Ephraim excitavit excellentes prophetas, Eliam, Eliseum, Amos, Oseam, & alios, per quos Ecclesiam collegit, reuocatam ad veri Dei cognitionem, & ad veros cultus.

Colles significant regna, ut Esaiæ 54. Montes movebuntur, & colles contremiscent. Affirmat igitur regnum Ephraim habiturum esse tanta ornamenta, ut cum aliis regnis certare possit de antecellentiâ.

Colles significant regna, ut Esaiæ 54. Montes movebuntur, & colles contremiscent. Affirmat igitur regnum Ephraim habiturum esse tanta ornamenta, ut cum aliis regnis certare possit de antecellentiâ.

BENIAMIN lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.

Hoc oraculū augustius est, quam vt de impio rege Saule, cuius gubernatio infelix fuit, intelligi debeat. Com-

parat igitur tribum Benjamin lupo rapaci, quia Hierosolyma vrbs regia & sacerdotalis, sita in sorte tribus Benjamin, ad se omnia commoda aliarum tribuum instar lupi esurentis rapuit, cum necesse esset regibus dari tributa & vectigalia, sacerdotibus vero primitias atque decimas. Vt autem mane, id est, a condita arce Sion & templo, vsque ad Messie aduentum comedit prædam: ita vespertino tempore seu nouissima hora, vt Ioannes loquitur, rursus diuisit spolia, non quidem aurea vel argentea, sed opulentiam gratiæ Dei, quam meruit & donat filius Dei credentibus. Hanc interpretationem confirmat Christus Lucæ ultimo, & Act. 1.

Omnes istæ sunt duodecim tribus Israël, & hoc est quod locutus est pater eorum ad illos, cum benediceret eis, cuiq; iuxta suam benedictionem.

Præcepit præterea eis, & dixit ad eos, Ego congregor ad populum meum,

Postremum mandatum Iacob de sepultura sui corporis.

Sepelite me cum patribus meis in spelunca, quæ est in agro Ephron Hitthæi, in spelunca duplici, quæ est è regione Mamre in terra Chanaan, quam emit  
Abra-

Abraham cum agro ab Ephron Hit-  
thæo in possessionem sepulchri. Ibi se-  
pelierunt Abraham & Saram vxorem  
eius. Ibi sepultus est Isaac cum Rebec-  
ca coniuge sua. Ibi etiam sepeliui ego  
Leam in eo agro & spelunca, quæ emta  
est ab Hethitis.

Cumq; iam finem fecisset Iacob præ-  
cipiendi filijs suis, collegit pedes suos  
super lectum, & ex-  
pirauit, collectusq; est ad populos suos.

Colligi ad popu-  
lum non est dissipari  
aut interire, sed mi-  
grare ex hoc fragili domicilio in tabernacula  
non manu facta, in quibus habitant omnes bea-  
ti vsque ad resurrectionem vniuersalem.

## C A P V T L.

### Argumentum.

*Hoc caput est descriptio pompe fune-  
bris, quæ testatur corpora sanctorum honore  
afficienda esse, & quia fuerunt templa Spiri-  
tus sancti & organa diuinarum actionum, &  
quia statuto tempore resuscitabuntur ad vi-  
tam & gloriam sempiternam. De his causis  
Augustinus in libro 1. de Ciuitate Dei cap.  
13. & in libro de cura pro mortuis gerenda  
cap. 3. suauissime disserit. Deinde proponitur*

T

in Io-



*in Ioseph exemplum heroica mansuetudinis, que grauissimas iniurias propter Deum voluntaria quadam obliuione conterit, & omnia consilia ad communem concordiam refert.*

## T E X T V S.

**R** Vitque Ioseph I. in faciem patris sui, & fleuit super eum, osculatusq; est eum. Porro Ioseph seruis suis medicis mandauit, vt aromatibus condirent patrem suum, & aromatibus medici condiuerunt Israële, donec transirent quadraginta dies, (nam sic implentur dies eorum, qui aromatibus con- diuntur) & lux-

Aloë, Mirrha, & alie res moderate calidæ, astringentes ac desiccantes munitur cadauera recentia, ne à calore externo afficiantur tantisper, donec absumto & deficiente humore cinis terreus remanet, qui hali- tum afflatu dispergitur.

runt eum Aegyptij septuaginta diebus. Transactis autem diebus luctus, vsus est Ioseph ad domum Pharaonis hac oratione: Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini quæso ad Pharaonem huiusmodi verba, Iuramento obliga-

obligauit me pater meus dicens , En ego morior , sepeli me in sepulchro meo , quod mihi fodi in terra Chanaan. Nunc igitur ascendam & sepeliam patrem meum , atq; reuertar. Et dixit Pharao , Ascende & sepeli patrem tuum , sicut iuramento te obligauit.

Cum igitur Ioseph ascenderet ad sepeliendum patrem suum , ascenderunt cum eo omnes serui Pharaonis , seniores domus eius , & cuncti senes terræ Aegypti. Sed & vniuersa domus Ioseph , & fratres eius , atq; domus patris sui , relictis duntaxat liberis , gregibus atq; armentis suis in terra Gosen. Ascenderunt quoque cum eo currus & equites , & facta est multitudo magna valde. Et venerunt ad aream Atad , quæ est cis Iordanem , & planxerunt ibi planctu magno & acerbissimo , luxitq; patrem suum septem diebus. Habitatores autem illius regionis , nempe Chananæi , cum viderent luctum in area Atad , dixerunt , Luctu ingenti afficiuntur Aegyptij , & ob hanc causam vocatum est nomen loci illius , Luctus Aegyptiorum , qui est cis Iordanem.

Fecerunt ei ergo filij eius quemad-

modum mandauerat illis. Et translatum in terram Chanaan sepelierunt in spelunca duplici, quam emit Abraham cum agro in possessionem sepulchri, ab Ephron Hitthæo, è regione Mamre. Reuersusq; est Ioseph in Aegyptum, postquam sepeliuerat patrem suum, ipse & fratres eius, atq; omnes qui ascenderant cum eo ad sepeliendum patrem eius.

Fratres autem Ioseph timuerunt, cum pater eorum esset mortuus, & dixerunt, Fortassis odio prosequetur nos Ioseph, & retaliabit nobis omne malum, quod aduersus eum perpetravimus. Propterea subiecerunt ei hanc sententiam: Pater tuus priusquam moreretur, mandauit nobis dicens, Sic dicetis Ioseph, Condone quæso nunc fratribus tuis iniquitatem & peccatum eorum, quia iniuria te affecerunt. Nunc ergo ignosce quæso iniquitati seruorum Dei patris tui. Ioseph autem fleuit loquentibus illis cum eo. Venerunt enim fratres eius ad eum, & abie-

## II.

Imago malæ conscientiae, de qua verissime Seneca dixit in libro 16. Epistolarum, Multos fortuna liberat pœna, neminem metu.

& abiecerunt se ad pedes eius dicentes, Ecce nos sumus serui tui. Quibus dixit Ioseph, Ne metuat<sup>s</sup>. Num Dei loco ego sum? Equidem vos cogitastis aduersus me malum, sed Deus cogitauit id ipsum in bonum, vt faceret quemadmodum hodie apparet, vt seruaret in vita populum multum. Ne igitur metuat<sup>s</sup>, ego pascam vos, & paruulos vestros, consolatusq<sup>ue</sup> est eos, & locutus est eis in cor eorum.

Habitauit itaq<sup>ue</sup> Ioseph in Aegypto, ipse & domus patris sui, vixitq<sup>ue</sup> centum & decem annis. Vidit etiam Ioseph ex Ephraim filios vsq<sup>ue</sup> in tertiam generationem. Filij quoq<sup>ue</sup> Machir, filij Manasse nati sunt super genua Ioseph.

Dixit vero Ioseph ad fratres suos, Ego morior, & Deus visitando visitabit vos, & reducet

Vult Deus parci supplicibus, hoc est, iis qui agnoscunt culpam, & offerunt se ad poenam, & petunt mitigationem.

Diabolus conatus est perdere Ioseph, sed Deus seruauit eum, & hæc ipsa calamitas fuit Deo gubernante modus ad salutarem exitum.

Aetas Ioseph.

Ebraeos II. Per fidem Ioseph moriens de egressione si-

vos ex hac terra in terram, quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Ideo iuramento obligauit filios Israël, & dixit. Cum Deus vos uisitabit, asportate ossa mea hinc. Mortuus est itaq; Ioseph cum esset natus annos centum & decem, & condierunt eum aromatibus, posueruntq; eum in arcam in Aegypto.

liorum Israël meminere, deque ossibus suis mandauit.

Finis primi libri Moyfi.

THOM-



Τ Π Ο Μ Ν Η Μ Α Τ Α Γ Ρ Α Μ -  
Μ Α Τ Ι C Α Ι Ν Γ Ε -  
Ν Ε Σ Ι Ν .

C A P V T I .

**C**REAVIT.) Basilius in quadam Epistola : Tres inquit modi creationis in scriptura reperiuntur . Primus est fabricatio rerum ex nihilo , vt Gen. 1. Secundus est mutatio in meliorem statum , vt Psalmo 51. Cor mundum , id est , fide purificatum crea in me ô Deus . Tertius est resuscitatio ex morte , vt Psal. 104. Emittes spiritum tuum & creabuntur , & renouabis faciem terræ .

Verba Basiliij sunt : τρεῖς κτίσεις εὐρέματα ἰσχυρῶς ἐν τῇ γραφῇ , μίαν μὲν καὶ παρὰ τὴν πλὴν ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγῆς . δευτέραν δὲ πλὴν ἀπὸ τοῦ χειροῦ εἰς τὸ κρείττον ἀλλοίωσιν . τρίτην δὲ πλὴν ἐξ ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν .

**D**EVS.) Vtitur Moses nomine plurali Elohim , vt significet tres esse personas diuinitatis , & creationem esse commune opus æterni Patris , Filij , & Spiritus sancti . Et si autem Psalmo 82.

Magistratus vocantur Elohim, quia magistratum potestas proxime ad Dei immortalis numen accedit: tamen aliud est loqui de officio diuino, aliud describere creationem, quæ est opus solius essentiæ diuinæ.

FEREBATUR.) Hieronymus: Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est, Ferebatur, in Ebræo habetur Merachefeth, quod nos appellare possumus incubabat, siue confouebat in similitudinem volucris oua calore animantis. Ex quo intelligitur non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto, qui & ipse viuificator omnium à principio dicitur. Si autem viuificator, consequenter & conditor, quod si conditor, & Deus. Emitte enim, ait, spiritum tuum & creabuntur.

Basilus enarrans hunc locū inquit: Siue quod verius est, & enarratum ab ijs, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei, Quia scriptura hoc obseruat, vt cum ait, Spiritus Dei, intelligat Spiritum sanctum, qui est diuinæ trinitatis tertia persona. Ac si hoc modo intelliges dictum Moyfi, maiorem

rem capies vtilitatem. Quomodo enim ferebatur super aquas? Narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam, qui ait, Vocem hic positam significare idem quod fouere vitali calore, sicut auis incubans fouet oua. Haftenus Basilius.

FIRMAMENTVM. ) רקע Extendit. Inde רקיע extensum, vt Psalmo 104. dicitur: Extendens cœlū sicut pellem.

STATATA TEMPORA. ) מועד significat tempus statum & solenne, vt Pascha, Pentecosten, *συντακτηρια*. Significat etiam locum, in quo homines conuenire solent ad festi celebrationem, vt Psal. 74.

## CAP. III.

CONTERET. ) שופך obruere primum quidem ad tegendum & occultandum, vt Psalmo 139. שופכי חשך Forsitan tenebræ tegent me. Deinde ad opprimendum & delendū, vt Job 9. אשר בשערה שופכי Tempestate me obruet, opprimet, cōquassabit. Ita hoc loco הוא שופך Ille opprimet seu quassabit caput tuum.

IN POTESTATE VIRI. ) שוק Certainum est huius verbi radicem esse שקק

Hinc שָׁקַק & שָׁקַק & שָׁקַק quod significat discurrere. Nahū 2. שָׁקַקוּ בְּרַחֲבֵי בָּתַי. In plateis discurrebant. Et Ioëlis 2. בְּעִיר יְשׁוּעָה In ciuitate discurrebant. Hinc שָׁקַק forum, in quo discurritur, vel platea, & crus vel pes quo curritur. Ab hoc discursu est תְּשׁוּקָה seruitus vel ministerium, quia ministraturi alijs sursum & deorsum currunt. Sic fœminæ dictum est תְּשׁוּקָתָהּ אֵל אִישׁךָ Ad virum tuum seruitus & ministerium & subiectio tua. Et ad Cain dictum est תְּשׁוּקָתְךָ אֵל אֱדָמָה Ad te erit seruitus eius, scilicet peccati.

## C A P. I I I I.

COGNOVIT. ) יָדָע Latius patet quàm apud Latinos cognoscere. Non enim tantum significat speculatiuam cognitionem, sed sensum & experientiam, vt cum Iob dicit de impijs, Cognoscent quid sit contra Deum facere, id est, experientur & sentient. Sic Psalmo 51. Peccatum meum ego cognosco, hoc est, sentio & experior. Et Gen. 22. Nunc cognoui quod timeas DOMINVM, hoc est, reipsa didici & expertus sum. Et Lucæ 2. Virum non cognos-

cognosco. Nouit quidem Maria multos viros, sed virum nullum experta est, nec sensit. Ad hunc modum hoc loco, Cognouit Heuam vxorem non speculatiue, sed realiter expertus est suam Heuam, quod esset fœmina, Lutherus.

VIRVM DOMINI.) Lutherus de nouissimis verbis Dauidis sic vertit hunc locum: Possedi, seu adepta sum ac iam obtineo hominem (Iehoua) ipsum DOMINVM, quasi dicat, Hic erit haud dubie ille ipse DOMINVS, de quo nobis Deus locutus est, quemq; credimus iuxta promissionem fore semen multeris, videlicet hunc filium nominans, & virum seu hominem, & ipsum DOMINVM seu Deum. Ratio autem versionis est, quia particula Ebraica  $\text{נָּ}$  habet vim articuli, quem Græci accusatiuo casu efferunt.

RESPEXIT.)  $\text{רָאָה}$  Hoc verbum latius patet quam verbum respiciendi. Significat enim non modo respicere, sed etiam arridere & singularem amoris significationem in vultu ostendere. Etsi autem Moses hoc loco non explicat, quale illud signum fuerit, quo Deus ostendit sibi Habel munera grata esse:



esse: tamen verisimile est fuisse ignem de cœlo demissum, quo oblatio hausta & consumpta est in oculis omnium, vnde apparuit Deum delectari officio Habelis. Hæc Lutherus.

Hieronymus hunc locum explicans inquit: Vnde scire poterat Cain, quod fratris munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit, Et inflammavit DOMINVS super Abel & super sacrificium eius. Ignem autem ad sacrificium deuorandum solitum venire de cœlo, & in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.

## C A P. V I.

GIGANTES.) Verbum גַּבְרִים non tantum absolute, sed etiam transitine vsurpatur, vt Psalmo 10. וְגַבְרִים בְּצַדִּיקִים וְהִלְכֵם Et prosternet in fortitudine sua pauperes. Et Iosua 11. וַיִּגְבְּרוּ עֲלֵיהֶם Et oppresserunt eos. Sunt igitur גַּבְרִים Tyranni, qui propter potentiam grassantur inter homines, perinde quasi nullum restet iudicium, & ipsis quicquid libet liceat.

FOEDVS.) פְּרִיטָה significat pactum, foedus, & testamentum. Pactum est promissio, id est, consensus duorum vel plurium verbis expressus, quo se uterque obligat ad aliquid dandum aut faciendum. Foedus est pactum bellicum sic dictum à fide. Testamentum est honesta ordinatio morituri, in qua hæres instituitur, & legata certis hominibus attribuuntur, & dantur certa mandata.

## C A P. X.

GOMER.) גָּמַר significat perficere & absoluere. Quando autem res iam absoluta & consummata est, deponitur de manibus ac veluti abijcitur. Proinde etiam significat consumere & finem alicuius rei facere. Est ergo גָּמַר finiens.

MAGOG.) מָגוֹג tectum.

MADAI.) מַדַּי & מַדֵּי mensus est. Madai, id est, modius seu mensura.

IAVAN.) Hanc vocem alij à luto, quod Ebrais est יָבֵן alij à columba deducunt.

MESECH.) מֶשֶׁךְ extendit.

ASCANES.) אֲשֵׁן Ignis אֲשֵׁן sacerdos.

RIPHATH.) רִפְתָּה dissoluit.

THOGORMA.) תְּגוֹרְמָא ossa confregit.

KITTIM.) כִּיִּתִים Percussiores à verbo כִּיִּתָּה  
cuius Hiphil est כִּיִּתָּה percussit.

DODANIM.) דּוֹדָנִים Cognatus דּוֹד  
Miser.

CHVS.) חַבְשׁ Hæc vox significat Aethio-  
pnam Gen. 2. Psal. 7.

MIZRAIM.) מִצְרַיִם Aegyptus, Psal. 114.

PHYT.) פְּתוֹלִיטָא Mauritania.

CANAAN.) כְּנָעַן Id est, mercator.

HEVILA.) הֵבֵלָא India, Gen. 2.

NIMROD.) נִמְרוֹד rebellis fuit.

ANAMIM.) אֲנָמִים Fons. אֲנָמִים aqua.

LAABIM.) לַאֲבִים Flamma.

PHILISTIM.) פְּלִשְׁתִּים libra. Sunt enim  
cognatæ literæ & commutabiles Sa-  
mech & Schin. Habent igitur tanquam  
mercatores nomen à libra.

ZIDON.) צִידוֹן venatus est. Et צִידוֹן  
venatio seu victus, vt Psal. 132. Vena-  
tioni seu victui eius benedicam. Natu-  
ralis enim ratio comparandi victus has  
habet species, pecuariam, agricultu-  
ram, venationem & mercaturam œco-  
nomicam.

ELAM.) אֶלָּם Adolescens.

ASSYR.) אַשּׁוּר Beatus.

ARPHACHSAD. ) אֲרַפַּחְשָׁדַד sanauit תִּשְׁבַּע  
vastitas.

ARAM. ) אֲרָם & אֲרַם sublimis.

TABELLA IN QVA  
CONFERVNTVR POPVLI  
cum suis maioribus.

POSTERI IAPHETH.

Gomer	Cimmerij.
Magog	Turci.
Madaï	Medi.
Iauan	Iones.
Elisa	Aeoles.
Tharsis	Cilices.
Kittim	Macedones.
Dodanim	Dodonæi.
Thubal	Hispani.
Mefech	Mofci.
Tiras	Thraces.
Afcanes	Tuiscones.
Riphat	Riphei.

POSTERI HAM.

Chus	Aethiopes.
Mizraim	Aegyptij.
Phut	Mauritani.
Saba	Sabæi.
	Heuila

Heulla	Indi.
Ludim	Lydij.
Enamim	Cyrenaici.
Laabim	Lybies.

## P O S T E R I S E M.

Elam	Persæ.
Affur	Affyrj.
Arphachfad	Chaldæi.
Eber	Ebrai.
Aram	Syri.

## C A P. X X I.

EHICE ANCILLAM, ) גַּרְשָׁם repu-  
 diauit. Inde גַּרְשָׁה repudiata, cuius  
 nulla deinceps ratio habetur, & quæ  
 prorsus aliena redditur. Nunquam  
 enim posthac in domum Abrahamæ re-  
 uersa legitur ancilla.

## C A P. X X I I.

M O R I A. ) Hieronymus deducit  
 hanc vocem à verbo רָאָה vidit, vt Mo-  
 ria fit visio D O M I N I. Hanc etymo-  
 logiam confirmat Abraham inquitens,  
 Deus



Deus vidit. Alij dicunt radicem huius vocis esse, ירה Docuit, iuxta illud prophetae, Ex Sion exhibit lex, & verbum DOMINI de Ierusalem. Alij deniq; à verbo ירא timuit eandem vocem derivant, quasi dicas timor seu cultus DOMINI. Nam patres haud dubie in hoc monte sacrificarunt & alios cultus Deo placentes praestiterunt.

MACTARET. ) מַחֵרֵי significat mactare pecus. Mactantur autem pecudes vel parte acuta iugulatae, vel dorso securis percussae. Ideo eadem vox vsurpatur pro auri percussione.

PERPLEXITATE. ) סְבָרָה significat ramos erraticos, diffusos, crescentes sine certo ordine.

BENEDICENTVR. ) Cum textus vtatur verbo quartae coniugationis, quae habet significationem reciprocam, sic sententia reddi potest: In semine tuo benedicent sese omnes gentes. Nam benedictio Dei per Christum tunc prodest gentibus, quando sibi fide applicant benedictionem, Sum benedictus non in meipso, sed in semine.

## CAP. XXXIII.

HEBRON.)  $\text{חֶבְרוֹן}$  copulauit, conso-  
ciauit. Inde Hebron ciuitas non vni-  
sed multis dominis subiecta, vt Smal-  
caldia, Frideberga, & similes.

KIRIATH ARBE.) Vetustas distri-  
buebat regias ciuitates in quatuor par-  
tes. Prima erat curia seu principum.  
Secunda militum. Tertia agricola-  
rum. Quarta opificum.

PEREGRINVS.)  $\text{גֵּר}$  peregrinum si-  
gnificat, id est, externum, & ex alieno  
loco aduenientem. Sic Abraham erat  
aduena, quia non in Chanaan natus,  
sed ex Chaldæa oriundus erat.  $\text{דֹּשֵׁן}$   
Inquilinus est, qui non est dominus, sed  
hospes in terra in qua habitat, nihil  
habens proprij.

## C A P. X X I I I I.

PRAEPARASTI.)  $\text{כִּנְיָהּ}$  idem signifi-  
cat quod Græcis  $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\epsilon\iota\nu$ . Fit autem  
 $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\omega\varsigma$  verbis & re. Vult igitur dicere  
seruus, Hoc signum erit  $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\omega\varsigma \alpha\psi\epsilon\upsilon\delta\acute{\epsilon}\sigma\alpha\tau\omicron\varsigma$ ,  
id est, firmissima probatio osten-  
dens eam virginem destinatum esse fi-  
lio herili.

INAVREM.)  $\text{כֶּסֶף}$  significat lunulam  
sive

siue femicirculum ab vna aure ad alteram. Non est igitur gemma pensilis in auribus, qualis fuit Cleopatrarum, sed frontis ornamentum.

PRAEPARAVI.) חָפַץ Angulus. Significat igitur hoc verbum repurgationem omnium angulorum, vt locus pateat hospiti.

## CAP. XXV.

ORAVIT.) חָרַץ significat importune & improbe orare, ita vt pulsando & odiose instando Deo molestiam exhibeamus. Primum enim petendum est. Deinde quærendum. Postremo pulsandum.

## CAP. XXVI.

GRANDE PECCATVM.) חָזֵן significat delictum voluntarium, quod libera voluntate re deliberata sine coactione & metu committitur. Postea vsurpatur pro piaculo, vt Esaiæ 53. Ponet animam suam חָזֵן id est, vt Paulus interpretatur, Christus factus est pro nobis maledictum seu piaculum.

## CAP. XXVII.

CIBOS.) **אָמַן** gustavit. Congruit autem cum phrasi qua Lucas utitur Act. 10. de Petro, Et cum esuriret voluit gustare, id est, prandere. Hac phrasi significatur temperantia in cibo & potu, ut sit magis gustatio quàm crapula, ut corpus alatur & sustentetur, non oneretur.

## C A P.   X X V I I I.

OMNIPOTENS.) **אָמַן** mamilla. Inde **אָמַן** Nam Deus non tantum est creator, sed etiam nutricius, suppeditans unicuique necessaria ad conservationem incolumitatis.

## C A P.   X X X I.

IDOLA.) **תְּרָפִים** generaliter significat similitudinem vel imaginem cultus diuini siue veri siue falsi. Ut Osee tertio dicitur: Sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, & sine Theraphim. Et 1. Reg. 19. Michol ponit in lectum loco Dauidis Theraphim.

INIQUITAS.) **פְּשָׁע** significat peccatum omissionis seu prætermissionem officij. **חַטָּאת** peccatum commissio-  
 Hoc

Hoc est, alterum significat omittere faci-  
cienda, alterum facere omittere seu  
prohibita.

## C A P. X X X I I.

MORAM TRAXI. ) מִן tardavit,  
moram traxit. In futuro autem cum  
Aleph radicale sit elisum, Heth debe-  
bat habere dagges. Sed quia non est  
huius puncti capax tanquam guttura-  
lis, ideo Zere subijcitur literæ serui-  
Aleph מִן

SPACIUM. ) רִוַּח proprie significat  
respirationem, vt Exodi 8. Videns  
Pharao quod facta esset respiratio.

LUCTATUS EST. ) מִן significat  
puluerem excitare pugnando.

## C A P. X X X V.

IUGERVM ARVI. ) בֵּרַח comedit  
à בֵּרַח quod frumentum significat. Inde  
בֵּרַח prandium, 2. Reg. 13. Et μεταλλωπι-  
κῶς spacium itineris, quod ambulans  
conficit ante prandium aut cœnam,  
hoc est, quarta pars miliaris aut circi-  
ter.

## C A P. X X X V I I.



EO QVOD IN SENECTVTE.)  
 In Ebraeo est, Quia filius senectutum  
 erat. Chaldaica translatio sic habet:  
 Dilexit eum, quia fuit ei filius sapien-  
 tia senum, hoc est, talis erat filius,  
 tanta in eo erat sapientia, vt cum quo-  
 libet sene sapientia certare posset.

POLYMITAM.)  $\text{מִטָּמָה}$  particula ali-  
 qua abscissa. Hinc vestis picta Gen. 37.  
 qua non ex vno panno, sed ex particu-  
 lis diuersorum colorum conficitur.  
 Quod enim  $\text{מִטָּמָה}$  &  $\text{מִטָּמָה}$  significet abscis-  
 sionem, testatur Psalmus duodecimus,  
 Quoniam abscissi sunt veraces, hoc  
 est, defecerunt, & nulli amplius extant.

LACERATVS EST.) In passiuā  
 coniugatione Piel media radicalis da-  
 gessatur, & Hirec actiuum mutatur in  
 Kybuz passiuum. Propter mediam ve-  
 ro gutturalem vel Res, qua non sunt  
 capaces puncti Dages, Kybuz & Dages  
 mutantur in Holem, & interdum in  
 Schurec. Huius vtilissimae regulae ex-  
 emplum hoc loco proponitur. Nam  
 $\text{בֵּרַךְ}$  est praeteritum passiuum Piel sicut  
 $\text{בֵּרַךְ}$  benedictus.

FOSSAM.)  $\text{מַחְלָה}$  significat locum  
 animarum. Praecidantur autem curio-  
 sae qua-

ſæ quæſtiones de ſede atq; regione animarum his dictis, DOMINE Ieſu ſufcipe ſpiritum meum. Item, Hodie mecum eris in paradifo. Item, Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Hæc teſtimonia expendantur, quia conſolationes dulciſſimas continent.

LANIORVM.) Certum eſt ~~non~~ ſignificare maſtationem. Vt igitur infra ſit mentio principis piſtorum, ſic Potiphar haud dubie fuit princeps laniorum, non tantum in aula Pharaonis, ſed etiam in toto regno.

## CAP. XXXVIII.

CHESIB.) Hieronymus ſic vertit, Quo nato parere ultra ceſſauit. Eſt autem Cheſib hoc loco proprium, non appellatiuum. Nam appellatiue ſignificat mendacium, proprie vero eſt vrbs in tribu Dan in conuallib. terræ Iuda-

PASTOREM.) Vox Ebraica vtrunque ſignificat, paſtorem & amicum. Sed nos hoc loco contenti ſimus vſitata verſione, quæ nihil habet incommodi.

IN OSTIO OCVLORVM.) Id eſt, in biuio. Hæc figura Ebraici ſermonis Latinis inuſitata eſt. V 4 CA-

## CAP. XXXIX.

CUBICULARIUS.) Vox Ebræa hoc loco usurpata non tantum significat emasculatum, sed etiam cubicularium seu ministrum principis, ut Esaiæ 39. Filij tui erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.

## CAP. XLIX.

ROBORIS.) Alij vertunt doloris mei. Nam vox Ebræa יָמַן On aliàs dolorem significat, ut supra cap. 35. Rachel filium suum ob difficultatem partus appellavit Benoni, id est, filius doloris mei. Sed hoc loco significat robur, ut Deut. 21. de primogenito dicitur, Iste est principium roboris eius. Est igitur hic titulus primogeniti, quod vocatur prima patris virtus seu fortitudo.

OBLATIONIS.) Verbum *שָׁבַע* varie usurpatur, ut Gen. 4. & Psal. 32. significat remissionem peccati. Cum autem principaliter significet leuare, prudenter videndum est quid singulis materijs & circumstantijs congruat. Hoc qui-

quidem loco, in quo de iure primogenituræ differitur, haud dubie significat oblationem. Nam primogenitus erat in familia paterna sacerdos & rex. Ideo Christus à Paulo nominatur primogenitus, quia pater ad ipsum transtulit sacerdotium & regnum in Ecclesia.

DIFFLVENS.)  $\text{וַיִּטֵּן}$  Non est effundere, sed diffluere & temere vagari. Hinc pseudoprophetæ vocantur à Sophonia (cap. 3.  $\text{וַיִּטֵּן}$  id est, vagabundi, nihil certi docentes, sed fluctuantes, & agitati omni vento doctrinæ. Sic Ruben fuit  $\text{וַיִּטֵּן}$  quia non magnificit suam primogenituram, sed laxavit frenos errantibus cupiditatibus.

BOVEM.)  $\text{וַיִּטֵּן}$  significat murum & bouem, vt Psal. 18. In Deo meo transgrediar murum, & Exodi 21. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, &c. Sed hoc loco appellatione  $\text{וַיִּטֵּן}$  significatur bos. Vt enim bos arator totam familiam labore suo alit, sic Ioseph fuit nutricius familiæ paternæ.

Ac vt lector intelligat rationem, cur Ioseph boui comparetur, repetam insignem locum Ciceronis ex secundo de natura deorum: Quid de bubus lo-



quar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata, ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda, quibus cum terræ subigerentur fisione glebarum, ab illo aureo genere, vt poëtæ loquuntur, vis nulla vnquam afferebatur.

*Ferrea tum vero proles exorta repente est  
Ausag, funestū prima est fabricarier ense  
Et gustare manu iunctū domitumq, iuuenctū,  
Tanta putabatur vtilitas percipi è bubus,  
vt eorum visceribus velsci scelus haberetur.*

VETVLVS LEO.) Leo apud Ebræos habet diuersa nomina pro varijs gradibus ætatis. Nam in primo gradu dicitur לֵוִי id est, catulus. In secundo לֵוִיִּי id est, vastator seu deletor gregis. In tertio לֵוִיִּיִּי In quarto לֵוִיִּיִּיִּי Et in postremo לֵוִיִּיִּיִּיִּי Etsi autem vetulus leo videtur propter ætatem esse infirmior & languidior: tamen de multis senibus, quorum natura heroica est, vere illa dicuntur, Bos lassus fortius figit pedem. Item, γέρον ἀκμάζων πολλῶν νέων κρείσσων. Senex vegetus multis iuuenibus præstantior.



SCEPTRVM.) Iudæi vafre eludunt nomen *שֵׁטֶר* idq̄ contendunt significare calamitatem, vt Sennacherib & Nabogdonofor fuerunt virgæ affligentes populum Iudaicum. Sed hanc cauillationem primum refutat collatio aliorum dictorum, in quibus eadem vox pro fceptro vſurpatur, vt Pfalmo 45. Sceptum regni tui fceptum rectum. Deinde ſeries verborum in textu. Mox enim ſequitur particula quæ declarat priorem, ne aliquid dubitationis in animis legentium relinquatur: Non auferetur de pedibus eius *שֵׁטֶר* id eſt, ſcriba, legiſlator, ſenator. Loquitur autem de ſenatoribus, quos Moſes in deſerto elegit, vt eſſent conſiliarij regis, qui vocabantur Sanhedrin. Hic ſenatus ab Herode interfectus eſt. Ergo Meſſias exhibitus eſt.

SCHILO.) Non inſuauiſ eſt etymologia Ebræiſ nota, qui interpretantur Schilo fœtum eius, videlicet matris, vt congruat ad dictum: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Et inſigne eſt *χρῆνον αὐτῆς*. Hic filius Dei aſſumit humanam naturam imbecillem, quæ ſuſtinet ingentes dolores, iram Dei & mortem,

tem, & pendens in cruce est deforme & cruentum  $\chi\beta\epsilon\iota\omicron\nu$ . Et tamen ex morte reuiuiscit. In nobis uero natura imunda prorsus est sordidum & pollutum  $\chi\beta\epsilon\iota\omicron\nu$  peccato. Sed cum ipse hoc nostrum  $\chi\beta\epsilon\iota\omicron\nu$  induit, cum nos uoce Euangelij & Spiritu suo sancto uiuificat, fit hæc pellis templum Dei, & liberatur à peccato & à morte.

CONGREGABVNTVR.)  $\text{קָרַב}$  Hanc uocem Iudæi deducunt à radice  $\text{קָרַב}$  quæ significat frangi ac debilitari. Hæc autem etymologia confirmare uolunt opinionem de regno politico Messia. Ita enim interpretantur hunc locum, Erit debilitatio gentium, id est, Messias domitas gentes subijciet populo Israël. Sed hæc etymologia unà cum enarratione plena est insulsitatis & uanitatis. Insulse enim abijciunt literam Iod, quæ est prima radicalis, ut uanissimum somnium de regno politico stabiliant. Est igitur uera sententia quam gignit natiua Grammatica, Erit ei audientia seu congregatio populorum à uerbo  $\text{קָרַב}$  id est, Messias non constituet regnum politicum armis, sed uerbo reget suum populum. Cum autem docere

docere & audire sint correlatiua, magis perspicua erit sententia, si correlatiue intelligatur, Messias erit concionator, regens Ecclesiam verbo, per quod est efficax, dans iusticiam & vitam æternam.

CVNEVS LATRONVM.) גַּדְדִּי Gedud sæpe in sacris historijs vsurpatur, vt 4. Reg. 13. Cum quidam sepelirent hominem, & viderent Gedud, abiecerunt hominem in sepulchrum Elisæi, & 4. Reg. 24. de Iehoiakim scribitur, Immisit ei DOMINVS Gedudim Chaldæorum, &c. Significat autem hæc appellatio non iustum exercitum, sed manipulum furum, seu turmam latrunculorum, qui subitas impressiones faciunt & prædam agunt.

IN-

THE HISTORY OF THE  
LIFE OF JOHN DE Witt  
BY JOHN DE Witt  
IN TWO VOLUMES  
LONDON: Printed and Sold by J. DODD, in Pall-mall, 1753.

INDEX MON-  
STRANS VSV M L E-  
CTIONIS GENE-  
S E O S.

I. Testimonia de articulis  
doctrinae.

De patefactione Dei cap.	1. 2. 3. 4. 6. 8. 9. 12. 13. 15. 17. 18. 22. 28. 32. 35
De Deo cap.	1. 9
De Trinitate cap.	1. 3. 11. 19. 48
De filio Dei cap.	7. 16. 48. 49
De duabus naturis in Christo cap.	3. 22. 28
De conceptione Christi cap.	3. 22
De beneficijs filij Dei cap.	3. 22. 48. 49
De regno Christi cap.	3. 49
De Spiritu sancto cap.	1. 49
De iuramento Dei cap.	22. 24
De creatione cap.	1
De creatione hominis cap.	1. 2. 5. 9
De dignitate nature humane cap.	1. 2. 9
De imagine Dei cap.	1. 5
De Sabbato creationis cap.	2
De amore Dei erga genus humanum cap.	1. 2
De providentia diuina cap.	26. 30. 31
	De an-



De angelorum officio cap.	19. 24. 32
De odio Diaboli aduersus genus humanum cap. 3	
De lapsu primorum parentum cap.	3
De causa peccati cap.	3
De poena peccati cap.	3. 4. 7. 11. 19
De causa mortis & omnium calamitatum cap. 3	
De peccato originis cap.	3. 5. 6. 8. 22
De peccato contra conscientiam cap.	42
De ministerio Euangelij cap.	3. 49
De Iustificatione cap.	15. 22
De fide cap.	4. 5. 6. 12. 21. 22
De Ecclesia cap. 2. 3. 4. 5. 11. 21. 22. 26. 27. 28. 37. 49	
De Sacramentis cap.	4. 17
De cruce cap.	3. 12. 16. 42. 44. 49. 50
De exauditione diuina cap.	19. 20. 21. 24. 25. 35
De Magistratu cap.	9. 10
De coniugio cap.	2. 4. 9. 24. 25
De officijs œconomicis & politicis cap. 23. 29	21.
De futuro iudicio cap.	4
De resurrectione mortuorum cap. 35. 49	5. 25.
De vita æterna cap.	5

## II. Consolationes.

Consolatio à victoria Christi cap.	3
Consolatio opponenda scandalo crucis cap.	28
Consolatio contra furores Diaboli & mundi cap. 28	
Consolatio contra calumnias cap.	31
Consolatio sumta à prioribus beneficijs cap.	35
Consolatio à presentia Dei in erumnis cap. 39. 46	
Consolatio ab exitu sumta cap.	41

## III. Precationes.

Precatio Lot cap.	19
Precatio serui Abrahæ cap.	24
Precatio Iacob plena ardentissimorum affe- ctuum cap.	32
Alia eiusdem cap.	43. 48

## IIII. Gratiarumactiones.

Gratiarumactio Melchisedec pro victoria cap. 14	
Gratiarumactio Lot cap.	19
Gratiarumactio serui Abrahæ cap.	24
Gratiarumactio Iacob cap.	32

## V. Miracula.

Creatio cap.

X

Resti-

- Restitutio primorum parentum post lapsum  
cap. 3
- Translatio Henoch cap. 5
- Conseruatio Nohe in diluuio cap. 7
- Victoria Abrahe cap. 14
- Fecundatio Sara sterilis & effœta cap. 18. 21

## V I. Promissiones.

- Promissio de Christo cap. 3. 9. 12. 22. 26. 28. 49
- Promissio de certa sede Ecclesie cap. 12. 13.  
15. 17. 26. 28. 35
- Promissio presentie & auxilij diuini cap. 15.  
28. 46
- Promissio de mansuro nature ordine cap. 9
- Promissio bonorum corporalium cap. 12

## V II. Vaticinia seu Præ- dictiones.

- Predictio diluuij cap. 6
- Predictio de seruitute posteritatis Abrahe  
& eductione gloriosa ex Aegypto cap.  
15
- Predictio de posteris Esau & Iacob cap. 25
- Predictio de vicissitudine seruitutis & defe-  
ctionis Idumeorum cap. 27
- Predictiones Iacob de ijs, que duodecim tri-  
bus Israël acciderunt cap. 49
- Vatici-

Vaticinium insigne de tempore aduentus Messie cap.	49
Vaticinium de fine politica Iudaica cap.	49
Vaticinium de regno Ephraim cap.	49

VIII. *Comminationes.*

Comminatio de pœna primi lapsus cap.	2
Comminatio de pœna homicidij cap.	4. 9

IX. *Præcepta.*

Concio legis, quæ est regula vite cap.	4
Præceptum de fide & bona conscientia cap.	17

X. *Exempla distributa iuxta  
seriem Decalogi.*

*Primi Præcepti.*

Obedientiæ erga Deum cap.	12. 17. 21. 22
Tentationis seu doximasias cap.	22
Exemplum quod docet medijs concessis uten- dum esse cap.	32. 40
Diuine protectionis cap.	12. 19. 20. 31. 35
Patientiæ cap.	35. 40
Humilitatis cap. 18.	24. 40. 41
Confessionis peccati cap.	44
Ira Dei aduersus peccatum cap.	7. 19
Misericordiæ Dei cap.	7. 12
X 2	Despe-

<i>Desperationis cap.</i>	4
<i>Idolatriæ cap.</i>	11
<i>Furoris impiorum cap.</i>	13. 18. 19
<i>Insolentiæ in rebus secundis cap.</i>	16

### Secundi Præcepti.

<i>Operum liberi spiritus cap.</i>	31
------------------------------------	----

### Tertij Præcepti.

<i>Obedientiæ erga ministerium cap.</i>	35
<i>Beneficentiæ erga Ecclesiam cap.</i>	20. 45. 47
<i>Impositionis manuum cap.</i>	48
<i>Fidelis ministri Ecclesiæ cap.</i>	5. 6
<i>Concordiæ in Ecclesiâ cap.</i>	14

### Quarti Præcepti.

<i>Filialis obedientiæ erga parentes cap.</i>	28. 37
<i>Fidelis serui cap.</i>	24. 31. 44
<i>Pietatis erga parentes cap.</i>	9. 45. 47
<i>Quisosiogias cap.</i>	16. 21. 42. 43
<i>Reuerentiæ erga Magistratum cap.</i>	23. 47
<i>Legati manentis intra metas mandatorum cap. 24</i>	
<i>Autoritatis cap.</i>	20. 23. 41

### Quinti Præcepti.

<i>Æquitatis cap.</i>	13. 29
<i>Emulationis cap.</i>	30
<i>Aulicæ</i>	



<i>Aulica benevolentia cap.</i>	26
<i>Obliuionis iniuriarum cap.</i>	26. 45
<i>Immanitatis cap.</i>	4. 37
<i>Fortitudinis cap.</i>	14. 40
<i>Clementie cap.</i>	45
<i>Mansuetudinis cap.</i>	50
<i>Dilectionis cap.</i>	14
<i>Moderationis in victoria cap.</i>	14

### Sexti Præcepti.

<i>Pœne libidinum cap.</i>	19. 34. 38
<i>Castitatis cap.</i>	39
<i>Amoris coniugalis cap.</i>	24

### Septimi Præcepti.

<i>Ingratitudinis cap.</i>	40
<i>Hospitalitatis cap.</i>	18. 19. 24

### Octauæ Præcepti.

<i>Calumnie cap.</i>	31
<i>Apologia modestæ cap.</i>	31
<i>Bonæ conscientie cap.</i>	20
<i>Malæ conscientie cap.</i>	4. 42. 43. 50
<i>Occultationis officiosæ cap.</i>	12. 20. 26

## XI. De uocatione gentium ad societatem Ecclesiæ.

Cap. 9 22. 28. 49

XII. *Imagines seu typi seu Allegoria.*

Christi cap. 22. 28. 37

Ecclesie cap. 8. 26. 28. 36

Fidei luctantis & vincentis omnes tentationes cap. 32

Vicissitudinis tentationum & consolationum cap. 15. 33

Felicitatis impiorum cap. 36

Blandiloquentie hypocritarum cap. 4. 29

Crudelitatis hypocritarum cap. 27

Certaminis inter Ecclesiam & hereticos cap. 26

Huius vite cap. 47

Nature humane post lapsum cap. 3

Discipline cap. 3

Instaurationis nature nostre cap. 3

Securitatis humane cap. 4. 19

Sapientissime & modestissime schole cap. 5.  
11. 14

Viri vere boni cap. 6

Diligentis patrisfamilias cap. 23

Bone matrisfamilias cap. 18

Lucte carnis & spiritus cap. 19

Infirmitatis sanctorum cap. 9. 12. 19. 26

Boni principis cap. 21

F I N I S.

THE HISTORY OF THE  
CITY OF BOSTON  
FROM 1630 TO 1800  
BY JOHN W. COOPER

The first settlement in Boston was made in 1630 by a group of Puritan settlers from England. They came to the city in search of a place where they could practice their religion freely and build a community based on their religious principles. The city grew rapidly and became one of the most important centers of commerce and industry in the New England region. In 1773, the city was the site of the Boston Tea Party, a protest against British taxation that led to the American Revolution. The city played a key role in the war and emerged as a major center of industry and commerce in the 19th century. The city's population grew steadily and it became one of the most densely populated cities in the world. In 1800, the city was still a major center of industry and commerce and was one of the most important cities in the United States.

III. *Franciscus* 11  
*Collegia*

1. *Collegium S. Martini* 11  
2. *Collegium S. Michaelis* 11  
3. *Collegium S. Petri* 11

4. *Collegium S. Vincentii* 11  
5. *Collegium S. Iuliani* 11  
6. *Collegium S. Basilidis* 11  
7. *Collegium S. Agathe* 11

8. *Collegium S. Katherinae* 11  
9. *Collegium S. Margarethe* 11  
10. *Collegium S. Ursulae* 11  
11. *Collegium S. Luciae* 11

12. *Collegium S. Apolloniae* 11  
13. *Collegium S. Genovefae* 11  
14. *Collegium S. Veronice* 11  
15. *Collegium S. Juliane* 11

16. *Collegium S. Katharinae* 11  
17. *Collegium S. Agathe* 11  
18. *Collegium S. Ursulae* 11  
19. *Collegium S. Luciae* 11  
20. *Collegium S. Apolloniae* 11

## I.

ORATIO DE  
ADAMO PRIMO  
PARENTE GENERIS  
HUMANI.

**E**T SI nos nimis otiosis animis historiam primorum parentum à Moysè recitatam legimus: tamen nullius creaturæ eloquentiæ magnitudinem rerum quas complectitur, exponere potest. Nam creatio mundi & hominis, & institutio coniugij ac dominij, & restitutio Ecclesie post lapsum, sunt illustria bonitatis Dei & amoris erga nos testimonia, quæ sepe in inuocatione coguanda sunt, ut accendantur in nobis vera fides, gratitudo & dilectio erga Deum, & cetera virtutes. Quia enim Deus effinxit hominem, & hunc imaginem ac similitudinem referre sui ipsius in terris voluit, eundemq; animalibus præfexit cunctis, deniq; præcipitatum ex altissimo dignitatis gradu, per Christum restituit in antiquam gratiam: effectu ipso euidentissime ostendit, se beneficum esse, generiq; hominum amicum. Hæc testimonia diuini amoris erga genus humanum, si quam maxime intentis oculis (ut aiunt) acerrime contemplaremur,



vicissim & studium gratitudinis, & ingens dolor propter nostram ingratitude in nobis excitaretur. Sed te oramus eterne Deus, propter filium mediatorem, accende corda nostra Spiritu sancto tuo, ut te vere agnoscant, inuocent, diligant, & tuam bonitatem celebrent. Quamquam autem nec consilium creationis hominum, nec opus ipsum penitus perspicere potest: tamen in Ecclesia necesse est retineri doctrinam, que diuinitus de creatione hominis, & de lapsu ac restitutione tradita est. Primum igitur narrationi, que in primo libro Moysi extat, firmissima fide assentiamur, etiamsi prophani homines hanc narrationem derident, aut in μυθολογίαν transformant, & in singulis partibus narrationis Mosaicae amplitudinem maximarum rerum consideremus.

Cum bonitati non sufficiat seipsam considerare, sed boni natura sit, sese diffundere & alijs communicare: Deus in quo est summa bonitas, initio condidit angelos, & in hos radios sue sapientie, iusticie & libertatis transfudit. Sunt autem angeli spirituales natura, segregate ab omni mole corporea, inuisibiles, plena lucis diuine, que Deum conditorem celebrant. Loquor enim de natura angelica, qualis condita est, non de auersione à Deo,  
quam

quam sibi magnum agmen angelorum sua sponte accessit. Hoc autem mundo, ut ita dicam, spiritali constituto, Deus fabricavit mundum corporeum & visibilem, qui est compages superiorum & inferiorum corporum arte distributorum, continens cœlum, sidera, elementa, plantas, animantia & alias naturas, quæ in singulis partibus procreantur aut existunt. Sed nondum facta erat natura particeps utriusq; extremi, spiritus dico & corporis, quæ esset specimen singularis sapientiæ architecti, neq; tota opulentiâ bonitatis diuinæ conspiciebatur. Ut igitur Deus ostenderet se esse non artificiosum solum, sed plane artificem, animal coagmentavit ex inuisibili & visibili natura, & corpus quidem ex materia iam pridem condita extruxit, animam vero capacem imaginis Dei, halitu suo in hominem transfudit, ut esset natura intelligens, corpore vestita, spectatrix visibilium creaturarum, sacerdos Dei, gubernatrix rerum terrestrium, cœlestis & terrestris, visibilis & inuisibilis, particeps spiritus & carnis.

Hic cogitet pia mens illustria testimonia amoris diuini erga genus humanum. Primum enim dignatus est Dominus propria manu effingere nostrum corpus. Non enim angelis hunc laborem mandauit, ut verbis

Basilij

*Basilij utar, neq; terra sua sponte velut cicadas nos effudit, sed cum Deus vellet nos esse suum templum ac domicilium, propria manu terram sumpsit, & singulas partes corporis non modo ad usum, verumetiam ad venustatem admirabili arte & consilio distinxit. Est enim ordo in tota natura rerum ostendit, hunc mundum non casu ex Democriti atomis confluisse, sed esse mentem architectatricem, que consulto & arte omnia opera formavit: tamen manifestum est plurimum esse artis in fabricatione humani corporis. Age vero ne de ceteris membris dicam, quanta ars est in oculi fabricatione, qui constat quinque tunicis & tribus humoribus? Quanta porro ars est in organo vocis & sermonis. Etenim nodus gutturis, qui Græcè ἄδωνος appellatur, constat tribus cartilaginibus, quarum anterior scuto seu peltæ similis est, posterior nomine caret, media ad rostri fusorij similitudinem proxime accedit. In huius medio rima est, que nominatur ῥαωνίς, propriissimum vocis organum. Supra hanc rimam operculum est ὀπίρραωνίς. Sermo autem à mente principium ducit, que cum linguam dentibus finitam tanquam plectrum impellit, & aërem concinne format, vox articulata efficitur. Sed nullius eloquentia satis enarra-*  
*re po-*

re potest fabricationem humani corporis plenam artis, consilij & significationum. Ommissa igitur hac commemoratione, cum Tertuliano exclamemus: Homo toties honoratur, quoties manum Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, & ipsa imprimis affectione, que lineamenta dictabat.

Deinde cogitemus, qualis sit condita anima, videlicet talis, ut sit imago similis Deo. Sicut enim Deus est substantia intelligens, in qua est sapientia discernens recta & non recta, & voluntas liberrima volens recta, & sua quadam letitia acquiescens in rectis, & nolens contraria, & vera indignatione repellens ac destruens: Sic anima incorrupta, est natura intelligens, in qua lucet noticia Dei, & illa sapientia discernens iusta & iniusta, & habens voluntatem liberam gubernante Spiritu sancto, volentem iusta, plenam fiducia & leticia in Deo, & dominantem inferioribus viribus sine earum contumacia, sine peccato & sine morte. Hæ res proprie sunt imago illa in anima integra, scilicet mens, in qua lucet noticia Dei & legis, & libertas voluntatis, in qua accense fuerunt à Spiritu sancto



*sancto virtutes congruentes cum voluntate  
 Dei, fiducia & letitia in Deo, sine peccato &  
 sine morte. Quid autem gloriosius in creatu-  
 ra cogitari aut esse potest, quam quod sit ima-  
 go Dei, referens illa, que sunt in Deo pulcher-  
 rima, sapientiam, iusticiam & libertatem  
 voluntatis in Deo. Cum igitur Deus ita con-  
 diderit humanam naturam, ut in ea luceret  
 conditoris imago, et transfuderit in eam bona,  
 que sunt in ipsa mente diuina pulcherrima,  
 non dubium est, quin valde hoc opus dilexe-  
 rit, quod sic ornauit, & domicilium ac tem-  
 plum esse voluit in quo habitaret, & agnosce-  
 retur, & ipse illustribus testimonijs sese osten-  
 deret. Et quoniam post conditum hominem  
 Deus nullam nouam speciem elementorum  
 aut animantium creauit, ipso facto ostendit  
 genus humanum esse vltimum opus, ad quod  
 fabricatio aliarum rerum precipue directa  
 fuerit, & in quo velit acquiescere, & cui in  
 omni eternitate communicaturus sit sese, su-  
 am sapientiam, iusticiam & leticiam. Qua-  
 re cum legimus in primo libro Moysi hæc  
 verba, Faciamus hominem ad imaginem  
 & similitudinem nostram. Item, Requieuit  
 Deus die septimo ab omni opere suo, cogite-  
 mus non solum ingentem gloriam humane  
 nature, qualis condita est, describi: sed etiam  
 decla-*



declarari amorem Dei singulari erga genus humanum, quod tunc placebat Deo, & erat plenum luce Dei, iustum, & habebat appetitionum ordinem congruentem cum lege mentis. Etsi enim insigne epiphonema, quod extat in fine capitis primi Geneseos, Vidit Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona, ad omnes creaturas pertinet: tamen maxime describit humane nature prestantiam, que erat valde bona, id est, valde placens Deo, valde dilecta à Deo, prædita donis longe superantibus præsentis vires, valde ordinata, perfecte obediens Deo.

Sequitur in narratione *Mossi* institutio conjugij & dominij, de qua antequam dicere incipio, videtur mihi refutanda esse inanis gloriatio *Atheniensium*, qui iactitant se esse *εὐτόχους*. Sic enim regina *Attica* apud *Euripidem* inquit:

Urbs nostra multis antecellit ceteris,  
 Nequaquam enim confluit huc ex dissonis  
 Confusa multitudo gentibus, gerens  
 Moresq; naturasq; dissimiles sibi:  
 Sed mater hæc est una tellus *Attica*  
 Stirpis vetustæ cinium, ex hoc quam solo  
 Mundi architectatrix creauit mens Dei  
 Virtutis acres inserens stimulos satæ.

Et *Cicero* in oratione pro *Flacco* laudat  
 ciues

ciues Atticos his verbis : Assunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, leges ortæ, atq; in omnes terras distributa putantur, de quorum urbis positione propter pulchritudinem etiam inter deos certamen fuisse proditum est, que vetustate ea est, ut ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur. Hanc inanem gloriationem siue Atheniensium, siue Arcadum, siue aliorum, qui volunt videri αὐτόθους, uno versu Moses refutat, inquit : Formauit Dominus Deus Adam de limo terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vite, & factus est homo in animam viuentem. Nemo igitur est αὐτόθους, nisi solus Adam, formatus ex terra in regione vicina Damasco. Et cum Adam ante lapsum aspiciens totum cœli & terre opificium multa intellexerit, que postea homines acie mentis penetrare non poterant, non dubium est, eum semina doctrinarum de Deo, de cœli motibus, & de rebus nascentibus tradidisse posteris. Longeuitas etiam patrum ab Adam vsq; ad diluuium signum est, quod ostendit doctrinam ab eis propagatam esse. Ideo enim longa vite spacia multis concessa sunt, ut essent testes de continuis patefactionibus Dei, de forma, collectione & defensione

ensione Ecclesie, & totius doctrinae illustratores.

Nunc ad institutionem coniugij venio, que his verbis recitatur: Dixit Dominus, Non est bonum homini esse solum, Faciamus ei adiutorium simile, Grauiissima deliberatio inclusa est, verbo, DIXIT, quod ego sic interpretor, Sapientia diuina amans iusticiam, castitatem, & alias virtutes, fecit hoc decretum, quod vult ratum & firmum esse, ut talis sit ordo consociationis & propagationis in genere humano, & hunc ordinem patefecit, ac seuerissime puniet omnes violantes hunc ordinem. Hec omnia cum non dubium sit in verbo, DIXIT, comprehensa esse, hanc vocem infixam animis, diligenter omnes pie considerent, & cogitatione eius exuscitent animos, ut velint huic immoto decreto Dei obedire, & pœnas fugere, que ordine diuino sequuntur huius decreti violationem. Quoties igitur illa Diabolica lex voce pontificum promulgata citatur, que magna parti hominum precipit, ne viuant in coniugio, opponamus ei eternam & immotam auctoritatem decreti diuini, quod congruit ad eternam normam mentis diuine. Obijciunt autem hoc loco aliqui dictum Pauli, Bonum est homini non attingere mulierem, idq; contendunt pugna-

T

re cum

re cum dicto in Genesi. Sed facilis est conciliatio apparentis ἀντιλογίας. In Genesi traditur regula communis de maxima parte generis humani, sicut conditum est. Itaq; necesse est obedire regulæ omnes, qui sunt fecundi, & nisi vivant in coniugio, contaminantur. Paulus vero de Exceptione loquitur, Si qui non sunt idonei ad coniugium, aut non contaminantur in cœlibatu, hi sciant se exceptos esse à communi regula, nec peccanti si manent cœlibes, modo ut sint tales, ut non contaminentur. Queret fortasse quispiam, cur fœmina appelletur adiutorium simile viro. Fateor consilia Dei omnia in creatione enarrari non posse, Sed tamen est certum quid de hac questione respondeam, Non amat vir statuum, quia nec cognata est, nec similis est, id est, non est res intelligens, ornata simili sapientia & iusticia. Sed mulier est cognata & est similis, id est, natura intelligens, ornata simili agnitione Dei & iusticia, & ordinata, ut sit socia generationis & opitulatrix in institutione sobolis & in gubernatione Oeconomica. Hæc similitudo mutuum amorem inter coniuges accendit, qui quidem tunc ardentior & suavior est, cum copulati sunt in Deo, sicut & initio ante lapsum mas & fœmina pariter in Deo copulati erant.

Quis



Quis porro non iure miretur hæc tria  
 spectacula, formationem Adæ ex terra, edi-  
 ficationem Eue ex costa mariti, & propaga-  
 tionem totius generis humani ab Adam &  
 Eva? Vere enim lusit sapientia Dei æterna,  
 quæ est filius Dei λόγος in orbe terræ, for-  
 mans Adamum ex terra, & extruens Euam  
 ex latere viri dormientis, & propagans ex  
 vno sanguine totum genus humanum. Cum  
 autem de primo spectaculo supra aliquid di-  
 ctum sit, deinceps de reliquis duobus pauca  
 dicam. Etsi Eva condita est ex costa sumpta  
 ex Adam: tamen in viro & muliere nu-  
 merus costarum est æqualis. Quare consenta-  
 neum est in viro costas antea fuisse tredecim,  
 & tredecimum iugum ex viro exemptum esse,  
 ubi est viri cinctus, & inde fabricatam E-  
 uam. Huius admirandi spectaculi imaginem  
 Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 17.  
 ad Christum & Ecclesiam piè accommodat.  
 Voluit Deus creationem Eue typum esse Ec-  
 clesie nascentis ex filio. Sicut enim ex Adam  
 dormiente sumitur costa, vnde, ut scriptura  
 loquitur, edificatur Eva: ita sumitur Ecclesia  
 ex ipso corpore filij Dei, id est, ex natura so-  
 cia filij Dei redempta per ipsum. Et quia est  
 os ex ossibus eius, & caro ex carne, mirabile  
 incendium est amoris mutui inter hunc Do-  
 minum.



minum & inter Ecclesiam. Hic typus illustrat  
 totam doctrinam de creatione. Cum enim  
 DEVS sic verax, & voluerit illud suum de-  
 cretum ratum & firmum esse, Faciamus ho-  
 minem ad imaginem nostram, ideo hac di-  
 cens, significat filium assumpturum esse huma-  
 nam naturam, qui est proxima & substan-  
 tialis imago patris, & mittitur, ut sit instau-  
 rator imaginis in genere humano. Praclare  
 ergo Athanasius in libro de incarnatione  
 verbi dixit, Congruebat filium assumere na-  
 turam humanam, ut per imaginem Dei essen-  
 tialem homo restitueretur conditus, ut esset  
 imago Dei creata, quia per verbum, quo di-  
 uinitas patet, restituitur imago. Causam  
 vero, cur Deus voluerit omnes homines ab  
 vno propagari, Augustinus libro 14. de ciui-  
 tate Dei cap. 1. his verbis exponit: Deus ex  
 homine vno voluit homines instituere, ut hu-  
 manum genus non solum nature similitudine  
 consociatum, verum etiam quadam cognatio-  
 nis necessitudine in unitatem concordem pacis  
 vinculo colligatum esset. Quamquam igitur  
 alij sunt propiores, alij longius distant à stir-  
 pe: tamen communis cognatio est inter omnes  
 homines propagatos ab Adam. Hac summa  
 utcumq; indicata, omnes adhortor, ut de his  
 rebus maximis piam meditationem adhibe-  
 ant.

Et si

*Et si autem lux de Deo, & noticia legis in hominum natura lucebat: tamen Deus etiam se singulari modo patefecit, prodiens ex arcana sede sua, & alloquens homines, certum & expressum verbum addidit, ut testaretur se velle hoc modo agnosci, cum mentes statuerent hunc vere Deum conditorem esse, qui sese patefecisset certa voce. Data sunt igitur mandata de certa arbore, & de coniunctione unius maris & unius femine, ut in his officiis declararent obedientiam erga ipsum. Institutum est etiam dominium rerum corporalium, quæ necessarie sunt vite corporali. Ita agnoscamus res precipuas statim initio ordinatas esse, Ecclesiam, Oeconomiam & politicam. Est autem ordinatum dominium his verbis: Subijcite vobis terram, & dominamini piscibus maris, &c. id est, generi humano trado hoc ius, ut de usu harum rerum tales ordinationes faciat, quæ prosint ad æqualitatem conseruatricem societatis.*

*Sed quoniam de creatione hominum & de patefactione Dei ante lapsum, breuiter est dictum: videamus quid Moses scribat de tristissimo lapsu primorum parentum, de quo propter multas causas diligentissime cogitandum est. Hec enim narratio ostendit, quàm vere Ambrosius in libro primo de vocatione*

gentium exclamarit, *Nemo confidat suis viribus, quæ cum erant integræ, non steterunt, sed per illum quærat victoriam, qui solus non est victus, & in omnibus vicit, & Bernhardus in prima concione de annunciatione: Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per seipsam resurgere iam corrupta. Etsi enim natura spirituum & hominis sic à Deo condita fuit, ut Deo placeret, recte ordinata esset, & Deo obediens: tamen Diabolus sese libere auertit à Deo, & postea homines impulit offusa falsa imaginatione, ut se auerterent à Deo. Est autem primus adruinam gradus, dubitare de certitudine verbi diuinitus traditi, & relicto verbo Dei, querere aliam sapientiam magis blandientem rationi. Quare cum primi parentes non crederent Deo minitanti pœnam, sed fascinati speciosa promissione Diaboli, desinerent metucere pœnam, & arderent cupiditate maioris gloriæ, discesserunt à verbo Dei, & violarunt mandatum Dei contra conscientiam, & horribili ingratitude expulerunt Spiritum sanctum in ipsis habitantem, quasi aspernantes copulationem cum Deo, denig, fuerunt homicide sui & totius posteritatis, quia hic lapsus est ianua omnium scelerum & miseriarum posteritatis.*

*Tantus*

Tantus aceruus atrocium delictorum fuit in primo lapsu, quem aliqui extenuantes disputant, Etiam si verum est homines tunc conditos discessisse à mandato Dei, quid hoc ad posteritatem pertinuit? aut quæ tanta res fuit, vesci pomo interdicto? Sed pie mentes expanescant potius cogitatione primi lapsus, & nequaquam audiant virulentas calumnias narrationis diuinitus tradite, quæ quidem sunt tela magis venenata, quàm qualia fuerunt tunc sermones Diaboli, quibus initio sauciaturum est cor Eue. Sit sane, vel ut verius dicam, videatur res leuis, vesci pomo. Illa tamen profecto magna & horrenda fuerunt, auerti à Deo, qui est & maximum & verum & perfectum bonum, negligere mandatum conditoris, anteferre Diabolum Deo, excutere Spiritum sanctum, & illam eternam coniunctionem cum Deo aspernari, denique hoc lapsu accersere sibi & posteris ingentem & inenarrabilem iram Dei, in qua magna multitudo perpetuo mansura est. Horum malorum magnitudo non potest ullius angeli vel hominis eloquentia satis exponi, imo ne quidem mente concipi potest.

Cum autem primi parentes, ut verbis Reuerendi præceptoris D. Philippi Melancthonis sepe multumq; utar, antea fuissent



domicilium Dei, & fulsisset in eis filius Dei  
 tanquam sol vera virtutis, flammam in eis  
 spargens, & fuisset in tota natura congruen-  
 tia cum mente & voluntate Dei, postea ex-  
 cussio Deo, cum iam in mente caligo esset, &  
 multis letalibus vulneribus natura sauciata  
 esset, folio fici inter trepidationes tegunt non  
 cetera membra, sed unius partis deformita-  
 tem. Huic folio fici similis est disciplina ex-  
 terna, qua etsi non meretur remissionem pec-  
 catorum, nec est iusticia coram Deo, nec est  
 impletio legis: tamen utcumq; tegit de-  
 formitatem humane nature spoliata & sauciata à  
 latronibus Diaboli. Quis autem potest cau-  
 sas dolorum & paucorum in primis parenti-  
 bus describere? Primum enim non sine in-  
 genti consternatione suam nuditatem & tri-  
 stissima vulnera aspiciabant. Deinde cum nec  
 promissionem gratie audiissent, nec ullum  
 exemplum reconciliationis vidissent, quid al-  
 liud cogitare poterant, quam se ruituros esse  
 in aeternum exitium, presertim cum ira Dei  
 declarata esset reiectione & tristissimis poenis  
 Diabolorum. Augebat etiam summi luctus  
 acerbiter hac cogitatio, quod intelligebant  
 totum genus humanum sua culpa incidisse in  
 aeternam iram Dei. Sed omnium maxime  
 expauerunt accusante Deo, & sonante ipso  
 tristissi-



tristissimam accusationem. In hoc exemplo conspici potest, quid sit vera contritio, & quomodo fiat. Cum autem nec ab angelis, nec suis consilijs, nec ab ulla creatura iuvari possent, rursus prodit ex arcana sua sede Deus, & ostendit in arcano illo suo consilio placatorem constitutum esse filium, & affirmat se recipere omnes ad filium confugientes. Hac promissione audita Adam & Eva, senserunt se recipi à Deo, & reddi sibi vitam. Hoc primum fuit miraculum post creationem rerum, quod de promissione testimonium fuit, quod Deus morituris opitulatus est sine causa secundis, & ostendit se Ecclesiam collecturum & seruaturum esse, etiam extra illum naturam ordinem, quem antea condiderat. Ac prorsus miranda res est, quod seruato ordine iusticiae & misericordiae, liberatur genus humanum ab aeterna ira, & in pristinam dignitatem ac libertatem restituitur. Immense misericordiae est, quod diuinitas non voluit perire ad omnem aeternitatem genus humanum, sicut in aeternum abiecit Diabolos. Sed tamen ut iusticiae Dei quoque, satisfaceret pro nostro peccato, ordinata est poena, quae est obedientia mediatoris innocentis. Hoc est meritum & precium, propter quod & peccata nostra remittuntur, & nos Deo placemus, seu

accepti sumus, cum fide nobis applicatur. Hæc pie & reuerenter cogitanda sunt, ut quantum malum sit peccatum, quanta res sit ira & iusticia Dei, quanta misericordia æterni patris, quod filium mittit, quantus amor sit in filio erga nos, consideremus. O duri et indurati et obdurati filij Adæ, quos nõ emollit tanta benignitas, tanta flamma, tantus ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam preciosas merces expendit. Pater ut seruum redimat, filio non parcat, filius seipsum libentissime tradit, Spiritum sanctum uterq; mittit, & ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Libet enim mihi eisdem verbis uti, quibus utitur Bernardus in concione secunda de Pentecoste.

Verum ut ad historiam, unde digressa est, oratio reuertatur, promissioni gratiæ Deus adiunxit prediõionem de cruce, & significauit, filium Dei semper affuturum esse Ecclesiæ, & mirabiliter eam inter Diabolorum insidias & impiorum furores seruaturum esse. Addidit etiam primis parentibus vestitum, ut hoc gestu utrunq; significaret, defensionem corporis in hæc vita, & deinde restitutionem nouæ pellis. Etsi autem Græci Paradisos vocant hortos, præclaris & bonis rebus omnibus, quascunq;

quascunq; tellus procreare potest, refertos: tamen in historia primorum parentum Paradisus significat, & locum terra meliorem, & talem hominum statum, in quo sine peccato & sine morte vixissent. Quare eijci ex paradiso nihil aliud est, quam ex illo meliore statu deturbari, & quidem habere omnia elementa minus felicia. Postea describitur à Moysse generatio primæ sobolis, & ostenditur qualis fuerit primæ Ecclesie & primæ Academie doctrina. Quoties enim Adam conuocauit suam Ecclesiam, non tantum sacrificauit, sed etiam recitauit initia creationis, lapsum hominum & promissionem, & sacrificia hoc fere sensu interpretatus est.

Non casu natum est genus humanum, nec frustra conditum, sed ut esset aliquod quasi theatrum, in quo Deus innotesceret, & cui Deus suam sapientiam & bonitatem in omni eternitate communicaret. Ut autem agnoscat, patefecit se non solum impressis in hac mundi corpora vestigijs, certissimo ordine coelestium motuum, temporum vicibus, legibus ac viribus nascentium, perennitate fontium & fluminum, distinctione specierum, distributioe finium, sed etiam in nos transfudit tanquam in imaginem suam radios summorum bonorum, sapientie, iusticie & libertatis

bertatis, & addidit mandatum de certo opere, quod esset testimonium obedientia. Huic mandato si obtemperassemus, sine peccato & sine morte vixisset genus humanum, & in mente fulsisset vera & firma agnitio Dei, & cor arsisset amore Dei.

Sed Diabolus furens odio Dei, & gaudens destructione operum diuinorum, doctis & facietis fabricis glaucomam nobis obiscit, ne cogitaremus, quantopere requirat Deus, ne à suo verbo discedamus, & quanta ingratiitudo sit, excutere Spiritum sanctum gubernatorem mentis, voluntatis & cordis, & aeternam cum Deo copulationem aspernari. Quare cum omnia diuinitus condita bona essent, peccatum non à Deo, sed à Diaboli & hominis voluntate ortum est. Excusso autem Deo, qui est fons vite, secuta est mors, & tyrannis Diaboli, qui aduersus genus humanum hostiliter grassatur, & omnibus calamitatib. miseros homines opprimit.

Sed quia noluit Deus prorsus perire genus humanum, ideo post lapsum nostrum rursus ex arcana sua sede prodiens, sese patefecit, & immensa misericordia lapsos recepit, ac promissionem nobis tradidit de venturo semine, propter quod velit placatus esse generi humano, nos exaudire & saluare, ac reddere  
nobis



nobis eternam vitam, lucem, sapientiam & iusticiam, deleto peccato, abolita morte, sublati omnibus calamitatibus humanis.

Promulgata igitur promissione, rursus Ecclesia condita est, in qua ut propagari ad posteros doctrina possit, ritus instituti sunt, & publici congressus. In his vocem promissionis de semine, & reliquam doctrinam, quam recitamus, de Deo, de creatione rerum, de primo lapsu & poenis eius lapsus, de insidijs Diaboli, de causis mortis & omnium miseriarum humanarum, de discrimine actionum bonarum & malarum, de futuro iudicio uniuersi generis humani, sonare oportebit. Vult enim Deus exaudiri suam vocem in toto genere humano. Ideo publici & honesti congressus erunt, & semper Ecclesia velut arx in arduo monte sita conspicietur, ut inde vox doctrine ad omnes gentes perferri possit. Horum congressuum vincula sunt nostra sacrificia. Sunt & picturae, quae nos de promissione commonefaciunt, & de sacrificio, quod pro nobis illud semen offeret, ad placandum Deum. Quoties igitur videtis agnum cremari, & quidem igne diuinitus accenso, subeat animum cogitatio de alio agno, scilicet de venturo semine, cuius mortem haec pecudes significant. Sic enim Deus nobis sit propitius, si credimus,  
non



non hanc pecudem placare iram Dei, sed propter illud semen nobis ignosci, nos exaudiri & saluari.

Placet autem invocatio nostra, cum semen illud agnoscimus, & mores ita regimus, ne polluere conscientiam vesimus. Quanquam enim in hac mortali vita herent peccatum, mors & ceterae calamitates: tamen inchoatur diuinitus noua lux & vita in his, qui fiducia venturi seminis se à Deo recipi credunt, & ad eum hac fiducia confugiunt, ac ei obedire incipiunt. Veniet etiam illud semen, ut iudicet mundum, & reddat vitam perpetuam ijs, qui promissionem fide & bona conscientia amplexi sunt, & puniat aeternis supplicijs eos, qui Deum aut promissionem superbe contempserunt, & furenter laxarunt frenos malis cupiditatibus.

De his tantis rebus cum primi parentes erudissent posteros, etiam doctrinam de natura rerum tradiderunt. Ostenderunt certum esse motuum caelestium leges, ut testentur, mundum non casu extitisse, sed ab aliqua aeterna mente conditum esse. Docuerunt & anni curriculum singulari consilio ordinatum esse, ut in dyudicatione religionum certo cognosci possit, quae prior, quae posterior doctrina sit. Et ut agnoscerent homines, omnia consulte

salto condita esse, varios usus in plantis monstrarunt, ad quos tanquam ad certos fines, propter hominum utilitatem nascuntur. Hanc fuisse primorum parentum doctrinam, perspicue testatur Moysi narratio in libro primo.

Cum igitur audita hac doctrina Abel obtulisset in sacrificio agnum, & Cain primitias frugum, respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain vero & ad munera eius non respexit. Hanc partem historia enarrans Hieronymus inquit: Unde scire poterat Cain, quod fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit: Et inflammavit Dominus super Abel & super sacrificium eius. Ignem autem ad sacrificium deorandum solitum venire de cælo, & in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare. Hinc ergo certamina inter fratres extiterunt, que ut reprimeret Deus, hac voce Cain compellavit: Si bonus fueris, eris acceptus, sin autem malus, peccatum tuum quiescet donec reueletur. Sub te sit appetitus tuus, & tu dominaris ei. De multis magnis rebus hi pauci versiculi concionantur. Primum enim docent usum ceremoniarum Deo placere

placere pralucente fide, & inchoata obedientia morali. Deinde significant futurum esse, ut aliquandiu differantur pœna, ac verbo quiescendi horribilis securitas generis humani taxata est, quæ cæca & furens contemnit iram Dei, donec sentiuntur pœna. Insignis etiam emphasis est in verbo dominandi, quod significat magnos esse impetus affectuum, ac voluntatis oportere magnam contentionem esse ad frenandos affectus. Scimus autem nos non nostris viribus vincere vitiosas appetitiones, sed auxilio Domini nostri **I E S U C H R I S T I**, ut præclare dixit **Augustinus** lib. 22. de ciuitate Dei cap. 23. Nec de viribus nostris speretur facienda victoria, nec viribus nostris facta tribuatur, sed eius gratie, de quo ait **Apostolus**, Gratia sit Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum **I E S U M C H R I S T U M**. Item, Vincimus per eum qui dilexit nos.

Sed **Cain** exemplo suo confirmat, quod ait **Salomon**, Perinde facere canentem bona carmina prauo cordi, ac si acetum fundat super nitrum. Tantum enim abest, ut hac concione audita emendetur, ut etiam maiores odij flammæ aduersus fratrem concipiat. Quare ut immanem odij acerbiter expleret, non modo terram, quæ mater est omnium, sed etiam

iam conscientiam suam nece fratris horribiliter polluit, & hoc scelere nouo, inaudito & inusitato, vulnera parentum suorum refricauit. Non enim dici potest, quanto in luctu & mœrore versati sint Adam & Eua, partim propter necem Abelis, qui futurus erat velut plantarium vere Ecclesie, partim propter alterius filij parricidium. Nam post sensum ira Dei nullus dolor maior est, quam is qui concipitur ex infelicitate liberorum. Ut autem in affecto corpore, quamuis leuis causa, magis quam in valido grauior sentitur: ita agra & affecte menti quodcumq; aduersi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis, quæ nihil quod aggrauat pati possunt, æstimandum est. Quare cum primi parentes assiduam memoriam sui lapsus circumferrent, & futura mala prospicerent, totum primæ ætatis centenarium, inenarrabili mœstitia confecti ac penè exanimati sunt. Etsi autem Cain parricida interrogatus, ubi esset frater eius, contumaciter respondit, Nunquid ego sum custos fratris mei? tamen conuictus conscientia mentis suæ, iustam esse pœnam confessus est, quæ voce diuina denunciabatur, vagus eris & profugus in terra, siue ut Græci dicunt ἀράσῳ, quem nemo aditu, nemo congressione, nemo sermone,



uiuio dignum iudicabit, sed omnes aspernabuntur, omnes abhorrebunt, omnes ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemq; fugient. Gessit etiam Cain signum reatus, sicut inquit textus, Et posuit Deus in eo signum, uidelicet subitam consternationem coram alijs hominibus, ortam ex magnis paenitentibus conscientie. Itaq; nemo inuentus est, quin expiandum locum illum arbitraretur, quacunq; Cain iter fecisset, nemo quin terram ipsam violari vestigijs conscelerati hominis putaret. Sic postea apud Græcos nemo Orestem gerentem signa reatus recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo respicere voluit.

Sed ommissa posteritate Cainica, quæ paternam impietatem sectabatur, de vera Ecclesia dicamus, quæ à Deo restituitur & seruetur, dato filio Seth, per quem colligitur aliquis cœtus, in quo sonat vox cœlestis de futuro semine, & hinc propagatur Ecclesia patrum usq; ad diluuium. Iam cogita quale collegium fuerit Adæ cum octo posteris. Nam uiuentem Adam audiuerunt aliquot seculis Seth, Enos, Kenan, Mahalaleel, Jared, Henoch, Mathusalem, Lamech pater Nohe. Hæc lumina Ecclesie ante diluuium haud dubie suauissimos sermones inter se communicarunt de venturo semine, de immortalitate  
 anima,



anima, de resurrectione corporum, de vita aeterna, & his colloquijs animos confirmarunt contra exempla Cainica multitudinis, in qua fuit varietas & inconstantia & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum de religione rebusq; diuinis commutatio. Ut autem Hesperus inter nocturnos ignes eminent, sic Henoch reliquis posteris Ade vsq; ad diluuium antecellit. Non enim mortuus est, ut reliqui patres, nec interfictus ut Abel, cuius anima sociam massam desiderat, sed viuens vnà cum corpore in caelum translatus, & in beatorum caetu ac numero repositus est. Hoc exemplo Deus non solum refutauit Epicureos sermones Cainica multitudinis congruentes cum Epitaphio Sardanapali:

Hec habeo qua edi, queq; exaturata libido  
 Hausit, at illa iacēt multa et praecleara relictæ,  
 Sed etiam confirmauit veram Ecclesiam contra dubitationes de vita & salute aeterna dandæ his, qui Deum recte inuocabant in agnitione promissi seminis. Sic Elias post diluuium adhuc indutus corpore viuus discessit ad Deum, ut testaretur Messiam, de quo populos docebat, abolita morte redditurum esse vitam aeternam, & conculcaturum caput serpentis. Tandem vero Dominus noster IESVS CHRISTVS post mortem reuixit, &

alij multi patres & propheta una resuscitati  
 sunt. Etsi enim solus descendit: tamen non  
 solus ascendit, sed cum magno comitatu san-  
 ctorum, ut Apostolus Thaddeus dixit, teste  
 Eusebio libro primo Historie Ecclesiasticae.  
 In hoc comitatu consentaneum est fuisse A-  
 dam & Evam tanquam primitias generis  
 humani & Ecclesie, presertim cum Mat-  
 theus discrete dicat, multa corpora sanctorum  
 qui dormierant, egressa è monumentis post  
 resurrectionem Domini, venisse in sanctam  
 civitatem & apparuisse multis. Auget et-  
 iam hanc riam coniecturam vetus traditio,  
 quam recitat Epiphanius Episcopus Cypri, in  
 refutatione Tatiani. ἐν βίβλοις ἡνεγκαιμεν τὸν  
 κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν ἐν τῷ γολγοθᾷ ἐσαν-  
 γῶνθι, οὐκ ἄλλῃ σου, ἀλλ' ἢ ἐνθα ἐκεῖνο τὸ ἦ ἀδάμη  
 σῶμα. ἐξεληθὼν γὰρ ἐκ τοῦ παρεδείσου, καὶ κατακοι-  
 κῶς κατέναντι αὐτοῦ πολλῶν τῶν χριστῶν, καὶ διὰ  
 πολλῶν ἡμερῶν θηλῶν, ὅσπερ ἦλθε καὶ ἐν τῷ  
 τόπῳ τούτῳ, ἱεροσολύμων δέ φημι, τὸ χριστῶν ἑπι-  
 δεδικῶς, καὶ ἐκεῖσε ἐτάφη ἐν τῷ τόπῳ τῷ γολ-  
 γοθᾷ. ὅθεν εἰκότως τὸ ἐπώνυμον ὁ τόπος ἔχει, κρα-  
 νίου ἐρμηνεύεσθαι τῆς τύπος. *Ei paulò post:* πῶ-  
 θεν οὖν ἢ ἐπωνυμία τοῦ κρανίου; ἀλλ' ἐπεὶ δὴ τὸ  
 πρωτοπάσιον ἀνθρώπου ἐκεῖ τὸ κρανίον ἵστανται,  
 καὶ ἐκεῖ τὸ λείψανον ἐναπέκειτο, τῶς ἕνεκα κρα-  
 νίου τῆς τύπος ἐπεκέκλιτο, ἐφ' οὗ σωρευθεὶς ὁ κύριος  
 ἡμῶν

ἡμῶν ἰνὰ τοὺς ἁγίους. Hunc locum nos ita sumus interpretati: In libris quibusdam extat narratio, affirmans Dominum nostrum Iesum Christum in Golgatha crucifixum esse, in eo videlicet loco, in quo Adæ corpus sepultum fuit. Nam eiectus ex paradiso, cum diu in vicina regione habitasset, tandem natu grandis venit in eum locum, ubi postea condita fuit vrbs Hierosolyma, cumq; nature debitum persoluisset, humatus est in loco, qui nomen Golgatha accepit, & significationem habet caluarie. Et paulò post: Unde igitur exciuit nomen caluarie? An quia primi hominis caluaria ibi inuenta est, & reliquæ ibidem repositæ, eam ob causam locus caluarie nomine notatus est, in quo cruce affixus est Dominus noster Iesus Christus.

Sed ut extremum aliquid habeat oratio mea, & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me attente audiendi, loco epiloge repetam ex Paulo collationem Adæ & Christi. Sunt enim due summe persone in genere humano Adam & Christus, Deus & homo. Qua igitur in re congruunt Adam & Christus? In hac re vel maxime, quod uterq; alijs meruit. Sicut enim Adam meruit alijs reatum, ita Christus meruit alijs reconciliationem, iusticiam & vitam æternam. Tollitur

enim omnis obligatio solutione eius quod debetur, nec interest virum is soluat qui debet, an alius pro eo. Itaq; sicut propter Adæ delictum omnes posterius sunt rei eterna mortis, Ita propter Christi obedientiam credentes sunt reconciliati seu accepti. Sed postea magna dissimilitudo est non modo rerum, quas uterq; alijs meruit, sed etiam propagationis. Quis enim hoc non videt, aut quis hoc ignorat, res diuersissimas esse, multumq; inter se disiunctas, peccatum & gratiam, mortem eternam & vitam eternam. Est & hec dissimilitudo plena consolationis, quod affirmat Paulus, gratiam longe potentiozem esse peccato & victricem esse. Postremo consideretur dissimilis ratio propagationis. Ut enim ab Adam carnali generatione propagatur natura rea, habens peccatum & morti obnoxia, sic à Christo propagatur Ecclesia regeneratione spiritali, quæ sit fide iuxta dictum, Dedit potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in eum, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Hæc sciri necesse est, ut beneficium Christi intelligatur, qui conculcat caput serpentis merito & efficacia, cui tribuatur gloria, laus & honor in omni eternitate,

A M E N.

O R A



ORATIO DE  
 NOHA ALTERO  
 PARENTE GENERIS  
 HVMANI.

**S**I OMNIVM hominum eloquentia in  
 enarratione primi libri Moysi, cui ti-  
 tulus est, Genesis, consumeretur, non tamen  
 profunditas sapientiae, quam continet, exhau-  
 riri posset. Nam ex hoc libro quasi quodam  
 sancto augustosq; fonte Israël omnis propheta-  
 rum & apostolorum oratio manat. Quid  
 enim sunt scripta prophetica & apostolica, ni-  
 si quidam riuuli ex libro Geneseos deducti?  
 Quare cum nemo unquam exhausserit sapi-  
 entiam riuulorum, facile intelligi potest,  
 quid de scaturigine existimandum sit.

Sunt autem plures cause, cur inexhausta  
 videatur sapientia eius libri, qui inscribitur  
 Genesis. Non enim tantum initia mundi re-  
 citat, ut Timæus Platonis, sed etiam Deum  
 describit, & de alijs maximis rebus lectorem  
 docet, quas nec Aegyptiorum, nec Graecorum  
 Philosophia explicare potest. Disputant Phi-  
 losophi, cur tam præstans natura generis hu-  
 mani morte & alijs calamitatibus onerata



sit, & vnde tanta sit imbecillitas, vt tam facile ruat in tetros furores. Sed que sit prima causa tantorum malorum non cernunt. At hic liber testatur humanum genus ita fuisse conditum ab aeterna mente architectatrice & opifice, vt sine peccato & morte viueret admirando modo, sed primo parentes sua sponte peccatum admisisse, cui proposita fuit haec ingens poena, vt postea hominum natura amissa priori luce & integritate obnoxia esset peccato & morti. Nec vero tantum causas humanorum malorum, sed etiam vera remedia ignota philosophiae ostendit. Nam primi parentes recipiuntur per misericordiam propter semen mulieris promissum. Haec promissio tradita primis parentibus de semine reddituro nobis iusticiam & vitam aeternam, deleto peccato & abolita morte, repetita est ad Abraham, & illustrata in colloquijs Dei cum Isaac & Iacob. Quid? quod primus liber Moysi antiquissimam historiam recitat, in qua considerentur miracula, quae sunt testimonia doctrinae, vt restitutio primorum parentum post lapsum, translatio Henoch in caelum, conseruatio Noe in diluuijs, fecundatio Saræ, quae & natura sterilis fuit, & propter etatem effæta, gubernatio ac defensio Ecclesie, vita & mores sanctorum, exempla

hor-

horribilium poenarum, ut poena primi lapsus, diluuium, confusio linguarum, deletio Sodoma, series annorum mundi usq; ad diluuium, & deinceps usq; ad mortem Ioseph, deniq; origines & nomenclatura variarum gentium.

Sed nimis longum esset huius totius historie seriem velle persequi. Omissa igitur longiore recitatione aliarum historiarum, nunc tantum de historia Noe dicam, in qua proponitur mirifica imago de gubernatione & conseruatione Ecclesie diuina.

Et si autem affirmari non potest, qui locus hunc iusticiae praecone nascentem exceperit: tamen consentaneum est patriam ipsius fuisse regionem vicinam Damasco, quam primi parentes eieci ex paradiso incoluerunt, & in qua certum est filium Noe Sem vixisse, cum fuerit rex Salem, quae postea nominata est Ierusalem. Est enim Sem ille ipse, qui nominatur Melchisedec. Huic coniecturae probabili tribuat quisq; quantum volet. Ut enim negat Demosthenes in eo positas esse fortunas Graeciae, huc an illuc manum porrexit, sic dissimilitudo opinionum de patria Noe non labefactat fundamentum fidei, dummodo illud constet, habuisse eum patriam omnium laudatissimam Ecclesiam, cuius ciuem esse praecipua laus est.

*Parens Nohe fuit Lamech, non is qui recensetur inter posteros hypocrita Cain, qui- que primus discessit ab ordine coniugij diuini- tus sancito, & autor fuit mali exempli, quod postea multi imitati sunt, sed filius Methu- salah & nepos Henoch, qui animum & men- tem suam ipsa cogitatione auitæ paternæq; virtutis conformauit. Extat prophetia He- noch de postremo iudicio in Epistola Iudæ, Ec- ce venit Dominus cum sancto exercitu suo, ut faciat iudicium contra omnes, & arguat om- nes impios. In ea prophetia haud dubie com- prehensa fuit copiosior doctrina, de promif- sione, de Messia, & de futuris mutationibus generis humani. Hanc doctrinam acceptam ab auo Lamech tradidit filio Nohe tanquam præclarum depositum & magni precij thesau- rum. Nec vero solius patris auditor fuit Nohe, sed etiam sex patres inde usq; ab Enos filio Seth audiuit. Iam cogita quale collegium fuerit tot patrum, qui doctrina, virtute, pie- tate, sapientia omnibus hominibus antecel- luerunt, & munere docendi diligenter functi sunt. O beatum Nohe, cui contigit, ut tali- um virorum colloquia aliquot seculis audi- ret, & his timorem & fidem augetet atq; con- firmaret. Fuisse etiam in Nohe considera- tionem naturæ eximiam inde æstimari potest,*

*quia*

quia & animantia congregavit, & in arca  
 toto anno pavit, & postea suis suis vites osten-  
 dit, quas non existimo tunc primum creatas  
 esse, sed primum ipsi in ultima senectâ mon-  
 stratas esse à Deo, quia Deus languefactum  
 corpus etate & curis pleniorē iam potu foueri  
 voluit, ac simul significavit venturæ posteri-  
 tati, quæ erat futura imbecillior, opus fore  
 deinceps tali potu. Quomodo autem Arme-  
 niam, in qua requieuit arca, agnoscere potu-  
 isset, & inde in patriam redire, nisi consi-  
 deratis spacijs dierum & umbris in gnomō-  
 ne? Imitemur ergo huius viri studia, &  
 semper cum doctrina Ecclesie propria coniun-  
 gamus philosophiam de natura rerum & de  
 anni ratione. Consideremus etiam pulcher-  
 rimarum virtutum exempla in Noha non  
 solum ad intuendum, sed etiam ad imitan-  
 dum nobis proposita. Quanta enim lux fidei  
 in mente Nohæ fulserit, testatur epistola ad  
 Ebreos cap. 11. Fide, inquit, Noha, cum ora-  
 culo admonitus esset, ea quæ nondum vide-  
 bantur veritus, apparavit arcam ad salutem  
 domus sue, per quam arcam condemnavit  
 mundum, & eius quæ secundum fidem est iu-  
 sticia heres factus est. Primum enim fide  
 amplexus est promissionem de venturo semi-  
 ne, quam posterī Cain tanquam anilem fa-  
 bulam



bulam deridebant. Deinde credidit Deo non solum prædicenti vniuersalem deletionem generis humani & animantium, sed etiam promittenti conseruationem familie ipsius in pœna, qua nulla tristior cogitari potest, & præcipienti de fabricatione arce. Hac fide extruxit arcam quamuis ab impia multitudine derisus & exagitatus. Est igitur Noha exemplum fidei, qua firmiter assentitur verbo Dei & promissioni, nec ab ea auellitur propter contraria, que ratio ostendit.

Proponitur etiam in Noha illustris imago fidelis ministri, qui excelsa quadam constantia accusat & damnat contumaciam in atrocibus erroribus & delictis, nec cedit contrarijs ventis eius multitudinis, que propter opes & potentiam & alias quasdam humanas prerogatiuas titulum sanctissimum & augustissimum Ecclesie falso sibi arrogat. Facilius est autem acerbissimos corporis cruciatus perferre, quam tot seculis conflitari cum auditoribus securis, superbis, tyrannicis, ingratis & contumacibus, quales fuerunt homines ante diluuium. Quod igitur de Lot in epistola Petri dicitur, id recte ad Noha accommodari potest: Iusti anima cum apud eos habitaret, indies cruciabatur videndo & audiendo horum iniqua op. ra. Non enim vna ciuitas, sed



Sed totus mundus cruciavit Noha, videlicet  
 posterius Cain, & crudeles hypocrite in Ecclesia  
 patriarcharum. Cum his monstris non uno  
 aut altero anno, sed aliquot seculis praconi  
 iusticie depugnandum fuit. Nihil docerpo  
 de fortitudine martyrum in supplicijs, sed  
 admiratione velut attonitus obstupesco cogi-  
 tans de Stephano, Laurentio & alijs, qui pre-  
 stiterunt constantiam in confessione, & laue-  
 runt stolas suas in sanguine agni, ut scriptura  
 loquitur. Sed his longe antepono alterum pa-  
 rentem generis humani Noha, qui & ante  
 diluuium annis sexcentis, & post diluuium  
 annis tercentum & quinquaginta spectator  
 fuit maximarum miseriarum. Si enim in hoc  
 tam breui & exiguo vite curriculo multa sin-  
 gulis hominibus accidunt ipsa morte acerbio-  
 ra, possumus ne dubitare quin Noha in illa  
 longevitate plurima expertus sit, propter que  
 sepius mori, quam viuere maluerit? Hanc  
 igitur patientiam Noha sepe intueamur, ut  
 erumnas nostras facilius feramus, que sunt  
 breues & fugaces, si cum illa longevitate  
 comparentur.

Quanta porro castitas fuerit huius docto-  
 ris, inde estimari potest, quod nec uxorem  
 duxit nec liberos procreauit ante etatis sue  
 annum quingentesimum. Etsi enim non re-  
 prehen-

prehendo consilia reliquorum patrum, qui ad procreationem sobolis magis properarunt: tamen miror & suspicio hanc nouam, inauditam, & inusitatam continentiam, cuius simile exemplum nulla historia recitant. Sed audiamus ipsam vocem Dei testificantis de hoc summo & incomparabili doctore, Noha inquit, vir iustus & inculpatus fuit, & cum Deo ambulauit suo seculo. Item, Fecit Noha omnia, que preceperat illi Deus. Nihil gloriosius de Noha dici aut cogitari potest quam hoc preconium Dei. Celebrat tota Grecia Aristiden, qui non voluit videri, sed esse iustus. Credamus sane hunc virum in omni officio politico fuisse iustum & moderatum. Quid est autem disciplina, si conferatur ad iusticiam quam Deus approbat? nisi misera & immunda hypocrisis.

Sed hac de persona Noha breuiter dixisse satis sit, cuius studia & mores de omnium virtutum officio nos commonefaciunt. Nam regule vite sunt illustriores cum probata exempla ostenduntur. Sequitur vt de vocatione & rebus gestis huius viri dicamus, qui à Theodoro ἀπέγοντο ἡ γένεσις, καὶ εἶτα τῆς φύσεως, καὶ δευτέρως Ἀδάμ, id est, semen generis humani & radix natura & alter Adam appellatur. Vocatus est autem Noha ad seruandas

uandas reliquias Ecclesie in diluuió, & deinde ad instauracionem in posteritate. Ac predictio diluuij & conseruatio familie Nohe & prouidentie & doctrina testimonia fuerunt, quam senex Noha profitebatur. Quod enim Deus curet genus humanum, & discernat bonos à malis, ipso facto ostendit, dum seruat familiam Nohe deletis impijs. Quod autem Noha fuerit doctor à Deo missus, testatur predictio diluuij. Non enim concionatus est de pœna particulari, ut Ionas aut Ieremias, sed de vniuersali totius mundi, et numerum annorum expressit, intra quos hæc pœna ventura erat. Cum igitur euentus, qui à nulla creatura prospici poterat, predictionem Nohe comprobarit, non dubium est hunc doctorem vere missum esse à Deo, & doctrinam eius esse veram. Sed huius tanti viri autoritate & voce ostendente voluntatem & iudicium Dei, & inuitante omnes ad pœnitentiam non magis moti sunt impij, quam asperissimi scopuli in mari stantes, quam assiduis fluctibus tunduntur. Quod si minus quidem intelligitur, quantus furor fuerit impiorum spernentium conciones Nohe, ex historia Ninuitarum percipi potest. Cum enim Ninuite audiissent comminationem diuinam de excidio urbis secuturo post

post dies quadraginta, indixerunt publicum  
ieiunium, & in cinere & sacco, ut scriptura  
loquitur, pœnitentiam egerunt. Impij vero  
ante diluuium non conuersi sunt ad Deum,  
cum quidem spatium centum annorum ad a-  
gendam pœnitentiam singulari bonitate Dei  
ipsis concessum fuisset, sed cumularunt peccata  
sine fine, quæ fuerunt iustissime cause diluij.  
Hanc imaginem profane securitatis transfert  
Dominus ad postremam & deliram mundi  
senectam, in qua natura hominum languidior  
est, & intentio in study; doctrina minor &  
disciplina laxior, & rabies in Diabolis senti-  
entibus instare iudicium seuior est: Sicut in  
diebus Nohe fuit, ita erit in aduentu filij ho-  
minis. Inter alias vero causas recensentur  
contemptus ministerij Nohe, confusio libidi-  
num, & tyrannica gubernatio. Nam de con-  
temptu ministerij vox diuina inquit, Non iu-  
dicabit spiritus meus in homine perpetuo, id  
est, Quia verbum meum contemnunt impij,  
& derident meas comminationes tanquam  
inania terriculamenta, ideo extremis morbis  
extrema remedia opponam, & iram meam  
delezione impiorum declarabo. Vagæ autem  
libidines his verbis significantur, Acceperunt  
sibi vxores ex omnibus quas elegerant.  
Sic Græci scribunt totam Atticam regionem  
ante



ante Cecropem obrutam esse diluuium, & nominatim causam addunt, fuisse id diluuium poenam libidinum, ideog, narrant à Cecrope restitutas esse coniugij leges. Discamus igitur timere iudicium Dei, qui est amans castitatis, & horribiliter odit & punit prohibitas libidines. De tertia causa diluuij vniuersalis Gen. 6. scribitur, Erant gigantes super terram, hoc est, tyranni, qui propter potentiam grassantur inter homines, perinde quasi nullum restet iudicium, & ipsis quicquid libet liceat. Has causas diluuij animo colligentes, sic cogitemus: Non pepercit Deus generi humano, in quo regnavit *ἡγεμονία*, id est, ea pars animi, quae mentis & rationis est participes. Quanto igitur minus parceret squalidae senectae mundi, in qua res ipsa ostendit dominari *ὀρθοπορία*, id est, infimam partem animi, quae voluptate alitur. Huius ratiocinationis autor est Petrus Apostolus in posteriore Epistola, Si Deus primo mundo non pepercit, sed octauum iusticiae preconem Noha seruauit, diluuium mundo impiorum inducens, multo minus parceret illis, qui carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulabant, & quae sequuntur.

Ut autem pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Chalcas esset, maestior



Ulysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari: sic ego ingenue fateor mihi verba deesse non solum oratoria, sed etiam quotidiana, quibus affectum Nohe describam spectantis deletionem generis humani. Nullus enim pater tam acri dolore afficitur, cum videt charissimæ filie summam calamitatem, quàm acris dolor fuit Nohe interitum hominum & animantium videntis. Si enim homines non prorsus ferrei exalbescunt, & tota mente atq; omnibus artibus contremisunt, quotiescunq; in parua inundatione expatiata ruunt per apertos flumina campos, Cumq; sitis arbuscula simul, pecudesq; virosq; tectaq; cumq; suis rapiunt penetralia sacris, ut poëta ingeniosissimi verbis utar. Quo tandem animo Noha fuisse putandum est, cum iam mare & tellus nullum discrimen haberent, omniq; pontus essent, & summos montes unda tegeret, pressaq; laterent sub gurgite turre. Commoueor equidem animo & toto corpore perhorresco, cum mihi venit in mentem aut deletionis Sodomæ, aut interitus Pharaonis, aut excidium Ierosolymæ. Sed ceteræ pœne neq; temporum sunt, neq; ætatum omnium, neq; locorum. Hæc vero pœna, cuius Noha spectator fuit,

non

non tantum omnes homines, sed etiam omne genus animantium, exceptis reliquijs quæ in arca erant, miserabiliter deleuit, & toti rerum nature exitialem mutationem attulit. Nam historia & exempla quotidiana convincunt nos, ut fateamur singulas nature partes post diluivum languidiores esse, cum nec in hominibus sit longuitas, qualis fuit ante diluivum, nec vires animantium & plantarum tantæ sint, quantæ olim fuerunt. Ac ut cetera signa languefactæ nature post diluivum omittam, an est quisquam qui hoc ignoret, victus rationem esse illustre testimonium de nostra imbecillitate? Etenim patres ante diluivum potu aquæ & herbis atq; pomis vitam sustentarunt. Nos vero quamvis utentes vino & carnibus, vix tamen agramembra trahimus. Si quis igitur diluivij pœnam extenuat tanquam à nostra memoria propter vetustatem remotam, nec sentit se in corpore & anima reliquias tantæ pœnæ circumferre, is vel impietatem suam, vel avandiciæ & stuporem confitetur. Sed tamen in hac miseranda facie omnium rerum, in qua non solum Carnica posteritas, verum etiam hypocrisis orti à sanctissimis & præstantissimis patribus pereunt, octo anima servantur, ut sint velut plantaria vere Ecclesie. Esti  
 4 2 enim

enim arca in qua vekebatur familia Nohe destituta erat remis & velis: tamen filius Dei sedit ad gubernaculum, & illos suos Argonautas protexit. Diserte enim scribitur in historia diluuij: Clausit post eum Dominus de foris. Hec de filio Dei intelligenda esse non dubium est, quia constat sapientiam Dei ludere mirandis operibus in orbe terra, & deletari hominum conuersatione. Est & illa Iohannis vox vera, & ad omnes liberationes Ecclesie accommodanda, Omnia per ipsum facta sunt. Cum autem ingressus esset Nohe in arcam mense secundo, die septimo decimo, egreditur ex arca rursus mense secundo, die vicesimo septimo. Interea igitur exacti sunt menses duodecim, & accedunt dies decem, cumq; undecimo ex arca egressus sit Nohe, erudite adduntur mensibus duodecim lunariibus dies undecim, qui vocantur Epacte. Ex his perspicuum est Nohe mansisse in arca integrum annum solare, qui differt ab anno politico ad lunam accommodato diebus undecim. Et quoniam temporum distinctio in lectione historiarum diligenter obseruanda est, non tantum consideremus tempora ingressus & exitus Nohe, sed etiam reliquas *χρονολογίας*, quarum in historia Nohe fit mentio.

Ac decimi quidem mensis die primo ap-  
parue-

paruerunt Noha commoranti in arca humiliorum montium cacumina, cum arca in montibus Ararat iam constitisset dies quatuor & septuaginta, Die vero quadragesimo post inspecta cacumina montium emisit coruum exploratorem ex arca, & post illum columbam, quæ eodem die reuersa est. Tandem igitur primo die primi mensis superficies terre apparuit liberata ab aquis diluuij. Quare eo die Noha tectum ab arca abstulit. Sed nihilominus tamen ipse cum familia & quadrupedibus adhuc sex & quinquaginta dies commoratus est in illo carcere, expectans Dei verbum mandantis exitum, & foris referantis claustra arce. Hæc ideo tam accurate annotata sunt à Moysse, ut extet testimonium de anno, quod opponendum est petulantie istorum, qui rident annorum numeros in sacris literis traditos, & quantum fuerit vnius anni spacium, sciri posse negant.

Elapso autem iam anno, cum prorsus exiccata esset terra, egreditur Noha ex arca, & sacrificat coruina, ut testetur se non casu, aut humanis consilijs & presidijs seruatum esse, sed Deum vere fuisse autorem & gubernatorem tanti beneficij, & hac commemoratione ipsum celebret, & seipsum doceat valde multa accidere homini inextricabilia huma-



no consilio, in quibus presentiam Dei & mirandas liberationes experimur, ac se & familiam ad timorem Dei, ad fidem & ad celebrandum Deum inuitet. Hos fines optimos & pulcherrimos cum in sacrificando prospiceret Nohe, odoratus est Dominus odorem suauitatis, id est, halitu suo seu flammis celestibus accendit victimas, & hoc visibili signo ostendit sibi placere λογικὴν λατρείαν, videlicet inuocationem, gratiarum actionem, & doctrinam Nohe. Dicebatur enim Deus sacrificia odorari, cum diuinitus incenderentur. Id erat singulare testimonium, quod placerent & accepta essent.

Quam autem vere dictum sit in Threnis Ieremie: Misericordie Domini, quod non consumti sumus, quia non desciunt miserationes eius, Mane redit & magna est misericordia tua. Non enim affligit ex corde suo, sed postquam afflixit filios hominum, rursus miseretur secundum multitudinem miserationum suarum: non verbis tantum suauissimis & amantissimis, sed etiam beneficijs necessarijs & salutaribus Deus post diluuium declarauit. Primum enim repetiuit institutionem & approbationem coniugij, quo genus humanum propagatur. Hoc beneficium preclare amplificat Augustinus lib. 22. de ciuitate



tate Dei cap. 24. Deus benedictionem illam, quam protulerat ante peccatum dicens, Crescite & multiplicamini & replete terram, nec post peccatum voluit inhibere, mansitq; in sti. pe damnata donata fecunditas, nec illam vim mirabilem seminum, imo etiam mirabiliorem qua efficiuntur & semina, inditam corporibus humanis, & quodammodo intext. in peccati vitium potuit auferre, quo nobis imposta est etiam necessitas mortis, sed verumq; simul currit isto quasi fluuio atq; torrente generis humani, malum quod à parente trahitur, & bonum quod à create tribuitur. In originali malo duo sunt, peccatum atq; supplicium, In originali bono alia duo, propagatio, & conformatio. Hoc insigne dictum Augustini celebrat magnitudinem bonitatis Dei, de cuius perenni fonte manant in naturam peccato vitiatam, supplicioq; damnatam duo riuuli, quorum alter est propagatio, alter conformatio nature humane. Simus igitur grati Deo, quod generi humano non abstulit semel datam primis duobus coniugibus benedictionem generandi.

Deinde restituit natura humane dominium, idq; noua accessione auxit. Concessit enim homini esum carnum, qui ante diluuium scelus habebatur. Iam cogita quanta sit benignitas

nignitas Dei, quod tam multa ad vescendum, tam varia & tam iucunda nobis largitur, neq; ea vno tempore anni, vt semper & nouitate delectemur & copia.

Muniuit etiam singulorum vitam & corpora seuerissima prohibitione homicidij, & discrimen monstrauit inter pecudes, quas mactari concessit & inter homines. Cum enim homo conditus sit ad imaginem Dei, id est, ad agnitionem Dei, iusticiam & immortalitatem, vt in vita aeterna communicetur ei sapientia & bonitas diuina, vult Deus erga eum exerceri iusticiam, vt sit intellectus iusticie in genere humano, Et prohibet eum interfici, quia vult intelligi voluntatem suam esse, vt conseruetur hec natura, cui communicaturus est suam sapientiam & bonitatem. Tecte etiam magnitudo sceleris significatur, quod horribili furore Diaboli & homines interfecturi erant filium Dei, qui est substantialis imago aeterni patris, & huius filij membra & fratres, qui omnes sunt heredes vite aeternae. Significat ergo hec prohibitio homicidij magnitudinem sceleris grassantium aduersus Christum & Ecclesiam.

Cum autem lex sine executione inanis sonitus videatur, instituit Deus magistratum, qui certo ordine tollat reum, & iudicium Dei admini-

administret. Hec enim verba Genesis nono leguntur: Quicumq; fuderit sanguinem humanum, per hominem fundatur sanguis illius. Etsi enim in versione usitata omissa est particula, per hominem, tamen in Ebraico textu singulari consilio inserta est, ut magistratus significetur.

Hec beneficia nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen est aliud his maius, videlicet promissio de mansuro nature ordine, quam Deus illustri signo proposito confirmavit & obsignavit. Solet enim Deus addere promissionibus suis signa externa. Sic iris, qua inter omnia meteoia nullum est neq; illustrius neq; admirabilius, à Deo condita est tanquam signum fœderis, quo Deus promisit se deinceps non puniturum esse genus humanum uniuersali diluuiio. Agnoscenda est igitur immensa bonitas Dei, & vera gratitudine celebranda, quod euidentissime ostendit hanc miseram & infirmam massam hominum sibi curæ esse & à se amari.

Sed redeo ad historiam Nohe, cuius filij fuerunt Sem, Cham & Iapheth. Ex his omnes gentes propagatae sunt. Ac posteritas Sem loca vicina Euphrati versus orientem occupauit. Cham loca vicina Iordani & Ni-

lo, progressus versus meridiem. Iapheth minorem Asiam versus occidentem tenuit, unde multa gentes in Europa propagatae sunt. Ut autem singulare decus est Ecclesiae certa series annorum à condito mundo usque ad natiuitatem filij Dei: Sic in sola Ecclesia monstratur propagatio generis humani. Ceterae gentes ignarae vetustatis sinxerunt fabulosas origines, ut Arcades dixerunt se ante lunam natos esse, Thessali fabulati sunt se ex lapidibus ortos esse. Athenienses gloriabantur se aëre & uerbis uos esse, & falso putabant se antiquiores esse gente Ionica, quae à filio Iapheth orta est, cui nomen fuit Ion, qui Graecae gentis stirps est. Non igitur solum iucundum est, sed etiam uile scire gentium origines.

Nec uero silentio praetereunda est particula historia de infirmitate Noe. Non enim fingimus sanctos omnis peccati expertes, cum solus filius Dei sine peccato permanserit, & tamen discernimus communem infirmitatem à lapsibus contra conscientiam. Cum igitur Noe uinum bibisset, ut ait scriptura, inebriatus est & nudatus in tabernaculo suo. Hanc infirmitatem patris non texit Cham, sed more hypocritarum exaggerauit & amplificauit. Solent enim hypocritae pios doctores propter aliqua leuia errata uirulentissime traduce-



traducere, & festucam in alieno oculo cu'pare, cum trabem in suo negligent. Cum autem Cham representet omnium temporum hypocritas, qui artificiosa specie deformant optime meritos præceptores, & ab his alienant animos principum & vulgi, aut alienatos confirmant, & in eis odia inflammant, in pœna Cham omnes homines iram Dei metuant, & vitent causas horrendæ pœnæ, qua his verbis describitur, Maledictus Canaan, seruus servorum erit fratribus suis. Etsi enim multi pœnas effugere possunt, quas homines de fontibus sumunt: tamen iudicium & pœnas diuinas nemo effugere potest, & si non ipsi, tamen posterius & totum genus in calamitates magnas incident. Quemadmodum autem posteritati Cham maledicitur propter patris peccatum: sic posteris Sem & Iapheth promittuntur premia pro benefactis parentum. Cum enim Sem & Iapheth vera animi reuerentia texissent patris nuditatem, vicissim à patre has benedictiones accipiunt: Benedictus Dominus Deus Sem. Item, Blande loquetur Deus cum Iapheth, & habitabit in tabernaculis Sem. Ac prius quidem vaticinium alligat promissionem de Messia ad posteritatem Sem, ut sciamus ex qua stirpe voluerit Deus nasci Messiam, & ubi fuerit expectandus

& con-



Et conspiciendus, alterum vero concionatur de vocatione gentium ad societatem vere Ecclesie, cum qua Deus blande loquitur ministerio Euangelij.

Porro Noha vixit post diluuium annis tercentum & quinquaginta, & fuit spectator maximarum miseriarum. Nam centum annis post diluuium diuinitus impedita est edificatio turris Babel, & secuta est confusio linguarum, qua non modo impedit propagationem Euangelij & collectionem Ecclesie ex diuersis gentibus, quarum non est vna lingua, sed etiam fons est omnis discordie in imperijs. Ut enim societas eiusdem lingua magnum concordie vinculum est: sic varietas linguarum animos distrahit & occasionem prabet infinitis dissipationibus. Vidit etiam Noha multos ex posteris à vera religione deficere & colere idola, in quorum numero fuit Vr Chaldeorum, cuius fit mentio in fine capituli undecimi Geneseos.

Cum enim primi patres recte sacrificassent, postea Chaldaei & alij sinxerunt hec opera mereri remissionem peccatorum, & affinxerunt abominandos errores; hunc ignem sumtum ab igne patrum accenso diuinitus, esse numen, esse Deum ipsum, & hunc ignem circumferentes adorauerunt.

Postea

Postea alij alia numina, & alios cultus  
 horrenda audacia excogitarunt. Hæc cum  
 acciderint viuentē adhuc Noha, qui vidit  
 mundum ante diluuium, & post diluuium  
 gubernauit Ecclesiam annos trecentos &  
 quinquaginta, & antecelluit sapientia, iusti-  
 tia, etate omnibus hominibus eius temporis,  
 non cogitemus nihil irrepisse vitiorum in  
 Ecclesiam, in hac infirma & delira mundi se-  
 necta, & in tantis gentium dissipationibus &  
 confusionibus, & neglectione doctrine & dis-  
 cipline.

Cum autem sanctissimus senex Noha na-  
 turam expleuisset satietate viuendi, & mu-  
 nere suo diligenter functus esset, mortuus est  
 anno etatis sue nongentesimo & quinquagesi-  
 mo, & anno mundi bis millesimo & septimo,  
 hoc est, ante uocationem Abrahæ annis se-  
 decim. Huic successit Sem filius, quo adhuc  
 florente uocatur Abraham. Nam & vici-  
 nas sedes habuerunt, & veteres Ebraorum  
 historie docent Sem fuisse eum sacerdotem,  
 cui nomen est Melchisedec.

Nec dubium est Iapheth paterna do-  
 ctrine custodem diu fuisse. Mansit igitur  
 aliquot seculis in dissitis gentibus Ecclesia, et sic  
 paulatim hos magistros multi deseruerunt.

Haecenus utcumq; historiam Nohæ reci-  
 tauerunt.

rati, quam cum legimus vel audimus, hanc  
 cogitationem suscipiamus, quomodo se Deus  
 patefecerit, & per quos tradiderit doctrinam,  
 & que doctrina, quo ordine, quibus testimo-  
 nijs tradita sit. Iam vero satis constat primos  
 parentes, Seth, Henoch, Noha, Sem, eandem  
 doctrinam professos esse de Deo conditore, de  
 rerum creatione, de peccato in genere huma-  
 no, de lege Dei, de promissione & de mediato-  
 re, de gratia, de remissione peccatorum, de fi-  
 de, de vera inuocatione, de noua obedientia,  
 de Ecclesia, de cruce, de venturo iudicio. Con-  
 siderata doctrina gratias agamus Deo, quod  
 se patefecit, quod perpetuo colligit Ecclesiam,  
 quod excitauit doctores & custodes doctrine,  
 quod suam presentiam in Ecclesia ostendit  
 mirandis liberationibus. Petamus etiam à  
 Deo, ut nos quoque regat & iuuet, & confirmet  
 in nobis fidem, spem, tolerantiam & alias  
 virtutes. Imitemur & diligentiam Noha  
 in sua quisque uocatione & in regendis mori-  
 bus, nec furenter effundamus dona Dei, sed  
 Deo nos gubernanti assentiamur, & tanquam  
 obsequentes remiges labore nostro cursum à  
 Deo incitatum adiuuemus. Vult enim Deus  
 nostram diligentiam velut remigum laborem  
 ipsi nauim regenti & impellenti non deesse.  
 Postremo nos ad veram Dei Ecclesiam ad-  
 iunga-

iungamus, ut in ea velut in arca abditæ in  
his horrendis confusionibus generis humani  
feruemur, sicut dulcissime dictum est in versis

Nazianzeni: Ἐπιτῶ Νῶε ἡσπατον,  
ὅπως μὲρον αὐτὸν ἀλλήω.

ORATIO DE  
ABRAHAMO PA-  
TRE OMNIUM  
CREDENTIVM.

MAGNA nobis pueris opinio fuit,  
Abraham, Isaac & Jacob non differ-  
re à vulgo pastorum, & tantum in horum  
virorum historijs exempla vitæ œconomica  
proposita esse. Ita enim censebamus, itaq; dis-  
seruimus, nihil eximium ac heroicum in his  
viris lucere, sed omnes ipsorum actiones ver-  
sari in vitæ œconomica, cuius summum decus  
est, amare coniugem & sobolem, tueri fontes  
suos, curare rem pecuariam, in emendo præ-  
stare iusticiam ac equalitatem, quam diuini-  
tus sancitam esse in rerum communicatione  
omnes sani intelligunt. Augebat etiam hanc  
opinionem superstitio Monachorum, qui nihil  
populo commendabant nisi legem calibatus,  
dele-



*delectum ciborum, & alias ceremonias abhorrentes à civili vita consuetudine.*

*Nunc vero Dei beneficio non solum docti, sed etiam indocti, qui Euangelij sapientiam fide & bona conscientia amplectuntur, discunt in illis summis viris & Ecclesie luminibus Abraham, Isaac, Iacob agnoscere Dei presentiam, & gratias Deo agere pro eorum vocatione, pro miranda Ecclesie gubernatione & instauratione. Ab his exempla timoris Dei, fidei, inuocationis, tolerantie & aliarum virtutum petunt. In hos tanquam duces & lumina intuentur, horum doctrinam inquirunt ad confirmandam fidem. Deniq; sciunt se eiusdem Euangelij auditores esse, cuius testes & propagatores fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, & statuunt se vere socios esse redemptionis, fidei & inuocationis ipsorum, & fore coheredes glorie eterne.*

*Quare cum aliquis ad pietatem gradus sit nosse doctrinam Abrahæ, Isaac, Iacob, & hos viros magnificere, breuiter summa sequatur fastigia rerum, quas Abrahæ historia continet. Est enim hæc historia consideratione dignissima, cum propter promissionem de venturo semine ad Abraham repetitam, tum propter ipsius Abrahæ vitam plenam exemplorum fidei, plenam honestissimorum officio-*



officiorum erga homines, plenam philosophias.

Sed antequam ad ipsam historiam venio, pauca ex preparatione Evangelica Eusebii repetam, quae declarant nomen Abrahæ apud Ethnicos celebratissimum fuisse. Sic autem libro nono inquit: Abrahæ non soli sacri meminerunt scriptores, sed ex prophætis plerique, velut Hecateus, qui librum de Abrahamo nominatim conscripsit, & Alexander polyhistor, qui Abrahamum natum ait decima post inundationem generatione, in Chamarine Babylonie urbe, quam alij Urien vocant, quod Græcè *χάλδαι πόλις* sonat, hoc est, Chædæorum urbem, inuentorem apud illos Astrologie, iusticia & pietate tanta, ut numini gratissimus iussus sit ab eo in Phœnicen migrare, quam gentem rationem siderum, aliasq; magnas & præstantes artes docuit. Ita facillime regi eorum conciliatus est. Nicolaus Damascenus libro historiarum quarto Damasci Abrahamum regnasse scribit profectum ex Chædæa cum exercitu, Hinc in Chananeam venisse, quæ postea Iudæa dicta est, magnamq; sui & diuturnam apud Damascenos reliquisse memoriam, villamq; ibi ostendi, quam Abrahami domum nuncupent, cumq; fame Chananea premeretur, in Egyptum abiisse, congressumq; cum Egyptis

ptijs sacerdotibus multum eis profuisse, & ad rerum cognitionem, & ad pietatem rationemq; morum & vita. Alexander in He-liopoli vixisse cum aliquandiu perhibet, nec professum se Astrologia inuentorem, sed à maioribus suis iam inde ab Enoch traditam sibi per manus.

Sed his narrationibus Ethnicis historia Moysi vt diuina, ita certissima longe anteponatur. Narrat autem Moyses, dissipatis posteris Nohe, & inchoato imperio Babylónico, tenebras inter gentes creuisse, & impios cultus receptos & stabilitos esse, inter quos præcipuus fuit Ur Chaldeorum, id est, ignis sacer, quem Perse Orimasda, Græci ἐσιας, Latini vestam appellarunt. Cum enim audissent igne delapso cœlitus incensas esse victimas, sinxerunt ignem esse ipsum Deum. Ab hoc errore et idolatria reuocauit Deus Abraham inquiring, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam ego tibi monstrabo. In hac vocatione primum consideretur & grate mente celebretur immensa bonitas Dei subinde instaurantis Ecclesiam pene collapsam accensa luce doctrine. Nam vnus Sem & eius familia post mortem Nohe puritatem doctrine retinuerat. Ut igitur cresceret Ecclesia,  
voca-

vocatus est Abraham ad veram Dei agnitionem, & ad propagationem vere doctrinae, quae Ecclesiam ab alijs gentibus distinguit. Deinde insigne exemplum fidei in Abraham quammaxime intentis oculis ( ut aiunt ) acerrime contemplemur. Magna res est deserere patriam, cuius tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. Sed longe difficilius est deserere idolatriam vetustate corroboratam, & ex animo euellere opinionem cui innutriti sumus, ut verissime dixit Euripides, τῶν σωτηριόφων γλυκῶν. Quemadmodum enim fluminum impetus secum abripiunt nauigantes: ita errores temporum trahunt homines, ut minus improbent praesentia. Quare cum Abraham ex tantis difficultatibus & tot impedimentis eluctatus sit, & omnibus rebus humanis mandatum Dei anteposuerit, iure ac merito epistola ad Ebraeos hoc de eo praetorium facit, Fide cum vocaretur Abraham obediit, ut egrederetur in locum, quem accepturus erat in hereditatem, & egressus est nesciens quo veniret. Fide quoque peregrinatus est in terra promissa tanquam aliena. Repetita est autem ad Abraham promissio de semine venturo, quod aboli-

to peccato & morte redditurum esset iustici-  
am & vitam eternam credentibus. Nam  
cum initio generaliter dictum esset de semine  
mulieris, postea restrictio ad certam stirpem  
facta est, videlicet ad posteritatem Abraham,  
ut certum esset ex qua gente, quo loco, quo  
tempore, Deus hunc Mediatorem exhibitu-  
rus esset. Execrandus est igitur Latomus Lo-  
uaniensis, qui scripsit non aliam fuisse notici-  
am de Deo in Abraham, quam qualis fuit  
in Platone & Xenophonte. Notissima est  
enim vox filij Dei, in qua dicitur, Abraham  
vidit diem meum & letatus est, id est, nouit  
me filium Dei, & assumpturum humanam na-  
turam ex ipsius semine, sciuit me futurum  
victimam, sciuit tolli peccatum & placari-  
tatem Dei per me, & restitui vitam eternam.  
Hac fide se sustentans, sensit accendi in se no-  
uam lucem, agnitionem Dei & vitam eter-  
nam. Sic vidit diem meum, id est, me & re-  
gni mei beneficia in seipso, & letatus est.

Promittitur etiam Abrahe certa sedes  
Ecclesie & quasi scholæ domicilium. Iam co-  
gita quantum Dei beneficium fuerit, quod  
politiam Israël ad Iordanem constituit, ut  
certa sedes doctrine esset, & tanquam certa  
Academia, que velut arx in arduo monte  
sita conspiceretur undiq;, & exaudiretur in



totò genere humano, ut inde vox doctrine ad multas gentes perferri posset, & tamen sedes doctrine perpetua in loco certo esset & maneret. Sunt enim anni ab exitu ex Ægypto vsq; ad resurrectionem Domini nostri IESU CHRISTI, mille quingenti quadraginta duo. Tot annos sedes illa doctrine in populo & loco certo conseruata est.

Egressus autem Abraham ex Charan urbe Mesopotamiae, qua clade Marci Crassi auarissimi proconsulis & Romanorum insignis est, venit in terram Chanaan, ubi primum hospitium ei praeiuit urbs Sichem. Hic locus ut aliquo modo cogitari possit, situm contemplemur montis Garizim. Certum est enim Sichem valde vicinam fuisse huic monti, qui fere in medio terra Chanaan est in eo tractu, quem tenuit tribus Ephraim. In hoc loco rursus apparuit Deus Abraham & promissionem repetiuit, ut exulem hac repetitione confirmaret. Postquam autem Abraham discessit ex Sichem, transtulit familiam in Bethel, que antea Luz a nuncupata est. Inde propter famem in Ægyptum profectus nouis difficultatib. exercetur. Nam promissiones corporales semper intelligende sunt cum exceptione castigationis & crucis. Tandem vero post longinquam peregrinationem



nem reuersus ex *Agypto*, nouum hospitium querit, & migrat in *Hebron*, quae distabat quinque miliaribus *Germanicis* à *Ierosolyma*, fuitq; postea ipsi *Abrahae*, *Isaac* & *Iacob* sepulturae locus. Hic vero modestiam *Abrahae* tacitus praeterire nullo modo possum, qui cum esset auunculus *Lothi*, & natu grandior, & propter promissionem dignior, non suo iure usus est in electione hospitij, nec regionem finitimam *Iordani*, quae propter fecunditatem & amoenitatem tunc similis erat paradiso *Dei*, appetiuit, sed cessit auunculus nepoti, senior iuniori, propheta & sacerdos *Dei* discipulo, ut hoc velut obsequio concordiam cum *Lotho* conseruaret. In hoc exemplum intuentes non habeamus necesse, ut senex ille in *Comœdia* humanissime dixit, omnia pro nostro iure agere, sed cedamus inter nos in ijs rebus, quae nec religionem, nec statum *Reip.* labefactant. Nulla enim victoria, nulli triumphus sunt magis digni laude, quam anteferre publicam concordiam priuatis commodis. Ac sepe mihi de hac moderatione *Abrahae* cogitanti venit in mentem narrationis *Pliniane* de duabus capellis, quae cum sibi occurrissent in ponte adeo angusto, ut spacium non esset, quo altera iuxta alteram praeteriret, mirabili arte viam sibi fecerunt.

cerunt. Altera enim prostratum corpus in ponte ita collocat, ut altera insistere prostrato corpori, & transire per illud posset. Sed quid de capellis dico, cum quotidie orbes cælestes miris anfractibus inter se cedant, ut hoc obsequio harmoniam conseruent. Constat enim sub Zodiaco circulo Solem & ceteros planetas ab occasu in ortum vehi mirando consilio Dei opificis, qui his contrariis motibus, sed altero rapidissimo, altero lento, placido, leniter repugnante, naturam rerum gubernat & placide temperat.

Sed redeo ad historiam Abrahæ, in qua cum fiat mentio Melchisedec, breuiter dicendum est quis & ubi fuerit. Est autem communis sententia vetustatis, Melchisedec fuisse filium Nohe Sem, quia tunc vixit, & fuit precipuus doctor in Ecclesia, testis & custos doctrinæ patrum. Nam ante diluuium vixit annos nonaginta octo, & audiuit multos præstantissimos viros, & deinde superstes fuit ipsi Abrahæ annis triginta quinq;. Hic cum esset custos vera doctrinæ, habuit Ecclesiam quæ eum audiebat. Interea vidit magnas dissipationes & calamitates post diluuium, lingue mutationes, nouum imperium & idola Babylonis, horrendas libidines & interitum Sodomorum. Etsi autem duo oppida fuerunt

b 4                      nomine

nomine Salem : tamen consentaneum est Sem habitasse in eo oppido , quod postea dictum est Ierusalem, quod distabat a Sodomis circiter sex nostra miliaria.

Habitarunt ergo eodem tempore in vicinis locis Sem, Abraham & Lot, & saepe conuenerunt ad explicationem doctrine, & ad mutuam consolationem. Sed horum viro um autoritate & voce non magis mouebantur ciues Sodome & vicinarum urbium, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes. Tantius enim furor in Sodomis exarsit, ut Moses scribat viros Sodome fuisse malos, & peccatores coram Domino valde, & Ezechiel cap. 16. exclamet, Hec fuit iniquitas Sodome, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuate sunt & fecerunt abominationes coram me. Quemadmodum autem prudens medicus non properat ad sectionem & vstionem, sed pharmacis omnia prius experitur : ita Deus cum sit longanimis non subito deleuit ciues quinque vicinarum urbium, sed concessit eis spacium ad conuersionem. Ac ut pœnis mitioribus ad meliores mores hanc multitudinem flecteret, permisit eam à quatuor potentissimis regibus partim trucidari, partim in exilium abduci.

abduci. His poenis etiam Lot, qui tunc habitabat in Sodomis, implicatus est, de cuius captiuitate cum Abrahæ allatum esset, non ut Hercules iratus atro felle dolorem, sed flammæ Spiritus sancti concepit, qui non est spiritus timiditatis, sed roboris, dilectionis & modestiæ. Hoc robore diuino armatus & ardens amore cognati sanguinis non dubitauit ingentem hostium exercitum exigua manu usq; ad Damascum persequi, quæ distat à Ierosolyma Germanicis miliaribus quadraginta duobus. Nec vero armis, sed fide hostiles copias profligauit, & ciues Sodome una cum Lot & optimis spolijs reduxit. Miretur sane Græcia, & laudibus in cælum attollat regem Spartanum Leonidam, quo duce trecenti Lacedæmonij ad Thermopylas trucidarunt viginti millia in exercitu Xerxis. Sed nos admiratione velut attoniti obstupescamus quoties legimus vel audimus narrationem de victoria Abrahæ, cuius non alia similis, excepta Gedeonis victoria, in omnibus historijs extat. Nam trecenti Lacedæmonij interfecti sunt, ut Simonidis epigramma testatur,

Dic hospes Sparte, nos te hic vidisse iacentes,  
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Abraham vero ita fuit victor, ut magna



hostium multitudine interfecta nullum ex suis amiserit. Ingens etiam discrimen inter Abraham & Leonidam faciunt cause impulsivae & finales. Est quidem in Leonida fortitudo heroica, qua minus metuit pericula quam alij, & fortius ac felicius preliari potest. Sed illa Leonide fortitudo non regitur luce divina, vera agnitione & inuocatione Dei, nec directa est ad hunc finem, ut ipsius victoria sit testimonium de Deo, & proficiat ad defensionem verae Ecclesiae, nec indicat Leonidas suam dextram regi à vero Deo, nec eum inuocat. Hac enim voce suos milites hortatur, Pergite animo forti Lacedaemonij, hodie apud inferos fortasse cenabimus. At in Abraham lucet noticia vocis diuinae. Ita in eo adest filius Dei ostendens aeternum patrem, & adest Spiritus sanctus accendens in corde leticiam in hac obedientia & veram inuocationem, & addens robur, & directus est labor ad hunc finem, ut sit de vero Deo testimonium, & ut defendatur Ecclesia.

Ut autem Abraham in prelio fuit accorrimus & similis sagitte ingenti impetu contorte, quae ferit omnia & prosternit, quae petit. Sic in victoria, quae natura insolens & superba est, admirabili & pene incredibile moderatione usus est. Non enim armis vi-

Et ricibus



Etruribus terram promissam occupavit, sicut filij Ephraim ante Moysen inuaserunt terram promissam, qui haud dubie disputaerunt se debere fretos voce diuina arma capere & sua occupare, Deum non velle, ut ocio si negligenter promissa, sed regula obtemperant, quae docet promissiones corporales non rapiendas esse nostris consilijs, sine uocatione diuina. Notat etiam Ecclesiam subiectam esse cruci, & Deum inter arumnas exiliij & seruitutis suas reliquias seruaturum esse. Ideo ad Ebraeos dicitur, Mortui sunt non accepta promissione, expectantes aeternam promissionem.

Nec vero lachrymis sociorum suas facultates auxit, sed omnia in pristinum locum sine *ἀναομιλία* restituit. Cum igitur redisset ex praelio, confecto itinere aliquot dierum à Damasco usq; ad Ierusalem, Melchisedec redeuntem excepit, & pauit ipsum & eius exercitum. In hanc sententiam textus inquit, protulisse eum panem & uinū. Eodem vero tempore Melchisedec benedixit Abraham inquit: Benedictus Abraham Deo excelso possessori caeli & terrae, quasi dicat, Deus vere tibi propitius est, tu uiuum membrū es Ecclesiae Dei, te regit & protegit Deus, tu es iustus & haeres uitae aeternae. Hac voce confir-

matur

matur fides in Abraham. Addidit & gratiarum actionem, Benedictus Deus excelsus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas. Veraq; autem re significata est Ecclesia eius temperis societas. Communicatio epularum & hospitij fuit signum amicitia. Sed benedictio fuit proprium testimonium consensus da Deo. Quia enim agnoscit Abraham hunc virum sacerdotem esse veri Dei, expetit eius concionem & precationem. Vicissim hic sacerdos pronunciat Abrahae benedictionem, & simul agit gratias vero Deo de victoria, que proderat eius loci Ecclesie, & ibi docet & confirmat multos in exercitu. Hoc moniti exemplo discamus Ecclesias debere consociationem querere, & tueri consensum doctrine, communi inuocatione, communi confessione, mutua benevolentia, & officijs, & ut in precatione Christi dicitur, debere unum esse in DEO, non querere occasiones dilacerationum.

Cum autem Abraham angeretur de defensione inter hospites pcculantes, & vehementer sollicitus esset de herede non modo corporaliu bonorum, sed etiam diuinaru promissionum, Deus vtriq; sollicitudini opposuit consolationes maxime congruentes. Primum enim promittit Abrahae defensionem, & successus

successus in vocatione, & premia laborum &  
 arumarum: Ne timeas, inquit, Abra-  
 ham, Ego sum protector tuus & merces tua  
 copiosa valde. Hanc promissionem ad nos  
 etiam accommodemus, & haec sit ancora qua  
 nos sustentemus inter fluctus & procellas ven-  
 dig, quassantes nostram nauim. Intueatur  
 mens hanc promissionem, & fide eam ample-  
 xa dicat, Dominus illuminatio mea & salus  
 mea, quem timebo, Dominus protector vite  
 mee à quo trepidabo. In te Domine speravi,  
 non confundar in aeternum. Deinde pollice-  
 tur Abrahæ heredem ex annu effœta & ste-  
 rili. Has promissiones diuinitus traditas non  
 audiuit Abraham surdis auribus, nec man-  
 sit in dubitatione, sed vere statuit euentum  
 responsurum esse dictis caelestibus & diuinis.  
 Nam praeter spem in spem credidit, ut Pau-  
 lus loquitur, id est, naturalibus causis non  
 consideratis promissiones diuinas firma fidu-  
 cia amplexus est, nec dubitauit dissidentia,  
 sed firmus fuit in fide dans Deo gloriam, &  
 certam persuasionem tenens Deum posse face-  
 re, quod promiserat. Ideo diserte scriptum est  
 in primo & antiquissimo libro Ecclesiae, Cre-  
 didit Abraham Domino, & imputata est  
 ei iusticia. Non scriptum est autem propter  
 illum tantum, sed etiam propter nos. Sicut  
 enim

enim ab illo fides dubitationem vincens flagitabatur, ita & à nobis singulis flagitari eam sciamus. Hæc doctrina propria Ecclesiæ Dei, quæ est portus & summa consolatio piorum, & expresse in hac ipsa historia Abrahæ, & deinceps in scriptis prophetiis & apostolicis tradita & illustrata est, quam considerare & meminisse valde utile est, ut sciamus doctrinam de fide & de iusticia, quam amplexi sumus & profiteamur atq; etiam propagamus congruere cum Abrahæ doctrina & cum perpetuo Ecclesiæ catholice & orthodoxæ consensu.

Porro cum anni quatuor & viginti à vocatione Abrahæ exacti essent, vocatus est autem Abraham anno ætatis suæ septuagesimo quinto, noua & mira ceremonia à Deo instituitur. Quamquam enim vox publici ministerij, quo colligitur Ecclesiæ omnibus temporibus mundi una & eadem est: tamen externi ritus mutantur, ut nouitas signorum sit commonefactrix de noua instauratione doctrine. Sic cum Deus instaurasset Ecclesiam repetita promissione de Messia & restricta ad posteritatem Abrahæ, addidit ritum circumcisionis, ut mentione ipsa membri admonerentur homines de venturo semine. Nominat autem Paulus circumcisionem sigillum iusticiæ fidei, ut de-



Ut doceat sacramenta esse signa voluntatis  
 Dei erga nos addita promissionibus, sicut si-  
 gilla adduntur literis. Voluit enim Deus voci  
 suae addere externas notas, quae nobis tanquam  
 testimonia essent scripta in nostris membris,  
 ut nos de promissione commonefacerent, & te-  
 starentur vere nos recipi. Sicut autem promif-  
 sionem fide accipi oportet, ita necesse est fidem  
 in adultis accedere in usu sacramentorum.  
 Cum Abraham circumcideretur, fide statu-  
 endum erat, Ecce hoc testimonium Deus de  
 caelo tibi tradit, ut certo scias te receptum esse  
 propter venturum semen, & hanc fidem sub-  
 inde recordatio circumcisionis, quam in cor-  
 pore gerebat, confirmabat. Complectebatur  
 autem simul promissionem & signum, sicut &  
 Augustinus erudire vocat sacramentum ver-  
 bum visibile. Ut enim verbum in aures, ita  
 ritus in oculos incurrit, et tamen idem signifi-  
 cat quod promissio. Semper igitur iungantur  
 ritus & promissio, & sciamus fidem accedere  
 oportere, quae simul in utroque Dei voluntatem  
 recipientem nos intueatur. Sic quoties de  
 Baptismo vel coena Domini cogitas, simul  
 complectenda est promissio Evangelij principa-  
 lis, quia haec sacramenta sunt totius Evangelij  
 sigilla & testimonia, perinde ac si de caelo no-  
 mis miraculis editis Deus tibi nominatim pro-  
 mitte-



mitteret remissionem peccatorū, & postulareret  
 ut crederes pro missione diuina. Hæc est ma-  
 gna & dulcis consolatio pijs agentib. pœnitenti-  
 tiam, nec intelligitur hæc doctrina à securis  
 hypocritis. Ideo afferenda sunt mentes dociles,  
 id est, agentes pœnitentiam & confugientes  
 ad promissionem in Euangelio traditam.

Eodem anno, quo instituta est circumci-  
 sio, Abraham tres viros hospitio excipit, &  
 unum adorat, videlicet inter angelos euntem  
 filium Dei. Etsi autem dominus erat tercen-  
 tum & octodecim seruorum: tamen non dat  
 negocium seruis, ut hospites liberaliter exci-  
 piant, sed ipse ex stabulis vitulum eductum  
 mactat, simul uxori mandans, ut tria farina  
 satâ misceat & coquat panes, nec ancillis hoc  
 quicquid est oneris imponat. Quid, quod non  
 assidet mensæ, sed ministri personam sustinet,  
 & omnia officia hospitalitatis in peregrinos  
 liberali pectore confert? Hanc historiam in-  
 tuens Epistola ad Ebreos exclamat, Hospi-  
 talitatis non capiat vos obliuio. Per hanc  
 enim quidam inscientes exceperunt angelos  
 hospitio.

Est etiam hoc conuiuium dulcissima ima-  
 go Ecclesie. Abraham sacerdos mactat vi-  
 tulum, qui significat venturam victimam.  
 Ecclesia tanquam mater familiâs panes, id  
 est,

est, doctrinam distribuit. Assidet ipse filius Dei, qui semper adest Ecclesie suae, & conuiuas suo sermone recreat, & promissionem precipuam repetit. Intellexit Abraham quid ageretur, nec similem esse duxit eam coenam quotidianis officijs erga alios hospites, sed agnouit Dominum, quem sciebat Ecclesia custodem esse, & fore victimam pro nobis. Hunc cernunt oculis Abraham & Sara, & audiunt concionantem de miranda promissione, de qua nimis frigide cogitamus, si non existimamus eum considerasse, quanta res promissa fuerit. Intelligebat Abraham non tantum sibi promitti regnum mundanum, cum promissio dicat, In semine tuo benedicentur omnes gentes, quia gubernatio mundana regni Israëliti non proderat ceteris gentibus, sed sciebat promissam esse liberationem à peccato & à morte aeterna, & restitutionem aeternae iusticiae & vitae. Sic igitur intellexit promissionem, ut sciret venturum semen fore hostiam pro peccato, et propter ipsum dari remissionem peccatorum & vitam aeternam.

Cum autem hospites abeuntes comiter deduceret, audiuit concionem de iudicio aduersus ciues Sodomae & vicinorum oppidorum. Hac concione audita non solum expauit, sed etiam admiranda dilectione & humilitate

pro

pro pessimis ac perditissimis hominibus depre-  
 catus est. Maluit enim ingratis beneface-  
 re, & multas obliuisci iniurias, quibus ciues  
 illarum urbium nepotem Lot affecerant,  
 quam imaginem & similitudinem conditoris  
 amittere. Tantum vero abest ut sese efferat  
 Abraham propter promissiones diuinas, ut  
 agnoscens suam infirmitatem & indignitatem  
 dicat, Nihil sum nisi puluis & cinis. Cum  
 autem tantus vir sese vocet puluerem & ci-  
 nerem, hoc est, infirmam massam, pollutam,  
 morti & omnibus miserijs obnoxiam, nos  
 multò iustius imbecillitatem nostram agno-  
 scamus, & semper memores simus dicti Sira-  
 cide, Quid superbit terra & cinis? Et senten-  
 tiæ Prosperi, Diuitijs flores, & maiorum no-  
 bilitate te iactas, & exultas de patria, & pul-  
 chritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab  
 hominibus deferuntur, Respice teipsum, quia  
 mortalis es, & quia terra es, & in terram  
 ibis. Circumspice eos, qui ante te similibus  
 splendoribus fulsere. Ubi sunt quos ambie-  
 bant ciuium potentatus? Ubi insuperabiles  
 imperatores? Ubi qui conuentus disponebant  
 & festa? Ubi equorum splendidi nutritores?  
 Exercituum duces? Satrapæ? Tyranni?  
 Non omnia puluis? non omnia fauilla?  
 Non in paucis ossibus eorum vitæ memoria  
 est?

est? Respice sepulchra & vide quis seruus, quis dominus, quis pauper, quis diues. Discerne si potes vinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformati. Memor itaq; nature non extollaris aliquando. Memor autem eris si teipsum respexeris. Hactenus Prosper, qui post mortem Augustini gubernauit Ecclesiam Rbegiensem annos duos & viginti.

Verum ut ad historiam, vnde digressa est, oratio reuertatur, angeli qui fuerant hospites Abrahæ Sodomam profecti, iustum virum Lot, qui opprimebatur à nefarijs per libidinosam conuersationem, eripuerunt. Nouit enim Dominus pios è tentatione eripere, ut preclare dixit Petrus in posteriore Epistola. Etsi autem Deus decreuerat perdere oppidum Zoar vicinum Sodomæ: tamen propter precationem Lot ei parcat, quasi consilium & propositum suum mutans, & voluntatem suam voluntati Lot subiciens. Sic Iosue decimo scribitur: Stetit Sol in medio cæli obediente Domino voluntati hominis & pugnante pro Israël. Hæc exempla illustrent dulcissimam promissionem de efficacia precationis, quæ in Psalmo extat: Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem



timentium se faciet, & deprecationem eorum  
 exaudiet, & saluos faciet eos. Cum igitur  
 Ecclesia domestica Lot in tuto collocata esset,  
 Deus Sodomam & vicinas vrbes propter re-  
 tras libidinum confusions non fame aut pe-  
 ste, aut bello, aut alia usitata calamitate, sed  
 nouo & inaudito genere pœna, videlicet flam-  
 mis de caelo sparsi funditus deleuit, sicut in  
 textu expresse scriptum est: Pluit Dominus  
 ignem & sulphur à Domino de caelo super  
 Sodomam & reliquas vrbes, & subuertit eas  
 totamq; illam regionem, omnes quoq; ciues  
 illarum urbium & germen terre. Extat in  
 Socrate scholastico decretum dignum accura-  
 ta consideratione, quod ostendit vetustatem  
 hoc dictum de filio Dei intellexisse: Si quis  
 hoc: Pluit Dominus à Domino, non de Pa-  
 tre & Filio accipit, sed ipsum à seipso pluuisse  
 dixerit, anathema sit. Pluit enim Filius Do-  
 minus à Patre Domino, vt singulari delibe-  
 ratione diuina, non casu rem tantam actam  
 esse vniuersa posteritas cogitet, & exemplo  
 moneri omnes homines & omnes gentes scia-  
 mus. Haud dubie ingens ira est, cum ipse fili-  
 us Dei executor fuerit horrendæ pœna, cuius  
 umbra quaedam & species hodie in fauillis  
 cernitur, vt narrat Egesippus libro quarto:  
 Arserunt terre, ardent aquae, in quibus coele-  
 stis ignis



stis ignis reliquia cognoscuntur atq; adhuc manent. Spectes illic specie poma viridantia, formatos vuarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem. Si capias, fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumumq; excitant quasi adhuc ardeant. Huic narrationi suffragantur testimonia Tertulliani & Augustini. Sic enim Tertullianus in Apologetico scribit: Sodomam & Gomorram igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, & si qua illic arborum poma oriantur, oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt. Et Augustinus lib. 21. de C. Dei cap. 5. Poma in terra Sodomorum gigni quidem scribunt, & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressuue tentata, in fumum ac fauillam corio fatiscente vanescere.

Quis autem non cohorrescat cogitans de furore illarum urbium, quae habuerunt vicinos doctores Sem & Abraham, & ciuem Lot? Testis illis erat dilectus Sem, Abraham liberauerat ciues Sodomorum profligato hostili exercitu. Sed verissimum est, quod Bernardus dixit, Dura corda nec beneficijs flectuntur, nec plagis emendantur. Quare cum nec exemplum diluuij, nec metus vllarum poenarum, nec autoritas horum virorum, nec beneficia diuina, quae per hos conti-

gerant reuocare à teterrimis sceleribus impiam multitudinem possent, secuta est pœna, cuius ipse filius Dei minister fuit. Hoc tristissimum exemplum ire Dei Petrus toti generi humano proponit inquit : Deus ciuitates Sodomorum & Gomorra in cinerem redigens, subuersione condemnauit, eosq; fecit exemplum ijs, qui impie forent acturi. Semper multa magna scelera grassantur in genere humano, errores de Deo, periuria, iniuste cades, furta & mendacia. Sed sepe publicarum calamitatum proxime cause sunt & quasi ~~causae~~ <sup>causae</sup> libidines, ut in deserto viginti quatuor millia hominum propter fornicationem occisa sunt, & suspensi omnium tribuum principes, inter quos erat Nahasson, ex quo Christus, teste Mattheo, secundum carnem natus est. Tribus Benjamin fere funditus deleta est propter stupratam Leuitae coniugem. Dauid propter adulterium regno expulsus est. Inter causas excidij Ierosolymae recensentur à Ieremia, idolorum cultus & adulteria. Propter has causas & cetera regna toto orbe terrarum varijs tumultibus quassata & mutata sunt. Troie delendae occasio fuit scelus Paridis. Roma expulsi sunt reges propter tyrannum, qui Lucretiam vi compresserat. Thebanis magna mala attulerunt

runt primum Chryssippi raptus, postea & incesta consuetudo sapientissimi regis Oedipicum matre. Scedasi duas filias Spartani stupratas in puteum abiecerant. Postea quasi in illo ipso vestigio trucidatus est exercitus Laonicus, & imperij mutatio facta est. Aegyptij reges propter tetras libidines deleti sunt. Deniq, nusquam desunt exempla. Quam multos recitare praestantes nobilitate & ingenijs possemus, qui nostra memoria in ipsis thalamis inter adulteria interfecti sunt? Hec exempla pertinent ad comminationem diuinam, Omnis anima quae fecerit has abominationes eradicabitur.

Audiamus igitur vocem diuinam, & intueamur poenas, ut maiore cura vitentur haec scelera & calamitates, quae ordine diuinitus sancito sequuntur.

Ceterum post Sodomae deletionem Abraham discedens ex Hebron peregrinatus est in Gerar, quae vrbs sita fuit in regione, quam postea occupauit tribus Iuda, non procul ab Hebron, & quidem sita fuit inter Hebron & Gazam. Hec peregrinatio Abrahae est imago omnium piorum, qui confitentur se hospites & aduenas esse in terra, & declarant se patriam caelestem inquirere. Sic David Psalmo 39. inquit, Ad-

uena ego sum apud te & incola sicut omnes patres mei, & lib. 1. Paralip. cap. 29. Peregrini sumus coram te & aduene, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora. In eandem sententiam preclare dixit Tertullianus in Apologetico, Ecclesia sicut se peregrinam in terris agere, genus vero, sedem, spem, gratiam, dignitatem in caelis habere.

Ut autem hospites vagantes sine certis sedibus nemo curat & ledere nemo veretur: sic Abrahe sedem stabilem & domicilium certum non habenti surrepta est Sara coniunx ab Abimelech rege Gerar, cuius libidinem Deus ita puniuit, ut inuiolatam Abrahe coniugem reddere cogeretur. Et si igitur exules non putantur curae esse Deo: tamen Deus non permisit his exulibus Abraham, Isaac & Iacob quenquam nocere, & reges propter eos corripuit. Quemadmodum enim Christus in horto discipulos suos hac voce, Sinite eos abire, quasi quodam v. illo probe muniuit contra vim crudelium hypocritarum: Ita Deus suis exulibus non arma & exercitus circumdedit, quae Dionysius pater adamantina regnorum praesidia appellare solebat, sed hunc firmissimum murum: Nolite tangere christos meos, & prophetis meis nolite



nolite nocere. Quare etsi ingentibus arumnis exercentur: tamen diuinitus & defendi se & liberari experiuntur. Hec scripta sunt, ut his confirmati exemplis sentiamus & nobis sic velle Deum opitulari. Quanquam enim Deus dat alijs aliud curriculum, ut magna dissimilitudo est Ioseph & Ieremie: tamen seruat suos ministros donec curriculum absoluant.

Cum autem Abraham esset centum annorum, natus est ei filius Isaac ex Sara effæta & sterili, que fide accepit vim ad concipiendum ac retinendum semen, & præter ætatis rationem peperit, quod fidelem iudicaret eum, qui promiserat. Quare & ex vno procreati sunt posterii, eorum iam annis effæto tanto numero, quanto sunt stelle cœli, & velut arena que est iuxta marginem maris innumerabilis. Hoc miraculum Esaias, qui fuit verius quàm Pericles orator, tonans, fulgurans, & in mentibus auditorum aculeos relinquens, splendidissime amplificat inquit: Audite me, qui sequimini iusticiam, & qui queritis Dominum, respicite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam putei, vnde effossi estis. Respicite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram que peperit vos, quoniam eum unicum vocavi, & benedixi ei, & multi-



*multiplicauit eum, quasi dicat, Ingens miraculum est, quod rupes virga Moysi percussa effudit largos fontes, qui praeberunt potum uniuersae multitudini. Sed non minus miraculum est natiuitas Isaac ex sene patre, cuius corpus iam erat mortuum, & ex matre non solum sterili, sed etiam effeta. Hoc igitur miraculum longe supra omnium creaturarum vires positum caeteris miraculis, quae sunt Ecclesiae peculiaria & propria adiungamus, & horum cogitatione assensionem de Deo & de tota Ecclesiae doctrina in nobis confirmemus. Etsi autem Abraham ardentem amabat filium Ismaelem susceptum ex ancilla Arabica Hagar: tamen hanc cogitatio rexit amore Dei. Non enim debet pius homo parentes, liberos & coniugem magis amare quam Deum, cum eos propter Deum amet. Itaque mandatum Dei anteponens amori erga sobolem, ancillam Hagar unam cum filio Ismaele domo expulit, cui quidem in deserto vaganti & iam sui periturae, angelus Dei fontem monstrauit, unde cum prole sua saturata est. Tunc enim vere vult opitulari Deus, cum deserti sumus à creaturis, sicut tandem in morte necesse est nos desereri à causis secundis.*

*Hactenus progymnasmata virtutum Ab-  
 brabe*

brahe utcumq; adumbravimus. Nunc audiamus quale specimen timoris Dei, fidei & obedientie in oblatione filij Isaac ostenderit. Nam medius inter naturam constitutus & fidem, cum utrinque prehensaretur, fidei dedit palmam victorie. Ut autem hæc historia sit illustrior, distribuam eam in Protasin, Epitasin & Catastrophen. Sit igitur Protasis lucta fidei cum arduis & difficilibus tentationibus. Cogita enim quale hoc mandatum fuerit, Tolle, inquit Deus, non pecudem aut servum, sed filium, non alienum, sed tuum, non ex multis unum, sed unicum, non degenerem, sed charissimum, non Ismaëlem, sed Isaac, hoc est, filium promissionis, in quo spes & opes tue omnes sitæ sunt, & hunc offer mihi eo genere sacrificij, quod totum flammis in cinerem redigitur. Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas tentationes, & quantos astus habuit cor Abrahæ audito hoc mandato? Primum enim disputavit Abraham, An tu nature bellum inferes, & extingues lucem & affectum, quo donec natura regitur conservationem cognati sanguinis appetit?

*Quis Colchus, hoc quis sedis incertæ Scythæ? Commisit? Aut quæ Caspium tangens mare*  
Gens

*Gens iuris expers ausa? Non Busiridis  
Puerilis aras sanguis aspersit feri.*

*Si enim vultu sepe leditur pietas erga  
sanguine coniunctos, quod supplicium satis  
acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit  
filio, pro quo mori ipsum, si res postularet, ius  
naturæ cogebat? Sed huic tentationi Abra-  
ham opposuit sententiam, quam Christus in  
suis concionibus aliquoties repetit: Qui amat  
filium aut filiam plus quam me, non est me  
dignus.*

*Postquam magno certamine vicit Abra-  
ham naturalem affectum, oritur secunda ten-  
tatio ex lege, quæ seuerissime prohibet homici-  
dium. Non enim primum hæc lex de non fa-  
cienda iniusta cade in tabulis Moysi scripta  
est, sed statim initio Deus addidit iudicio na-  
turæ illustre testimonium, cum maledicitur  
& punitur Cain propter interfectum fratrem.  
Promulgatur & postea lex Gen. 9. quæ pro-  
hibet homicidia, & punire præcipit per magi-  
stratus. Hæc enim sunt verba in textu, Qui-  
cung, fuerit humanum sanguinem, funder-  
tur sanguis illius per hominem, id est, per  
magistratum, quia ad imaginem Dei factus  
est homo, id est, ut Deum intelligat, inuocet,  
celebret. Hunc suum cultorem & sacerdotem  
Deus non vult violari, sed potius defendi &  
adiuu-*

adiuvari, ut Deum colat & innocet, est que Deus ipse vindex violatae imaginis, violati cultoris & sacerdotis. Hoc certe tamen multo difficilius est superiore. Sed norat Abraham inferiorem legem cedere superiori, & primam tabulam Decalogi esse moderatricem secundae.

Omnium vero grauissima tentatio ex promissione orta est. Eum enim sibi iubet offerri Deus in holocaustum, in quo semen Abrahae, ut stellas caeli multiplicandum esse toties sua voce promiserat. Quomodo autem ex hac tentatione eluctatus sit Abraham, docet Epistola ad Ebraeos cap. 11. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum obtulit, in quo promissiones acceperat, ad quem dictum fuerat, quod in Isaac vocabitur tibi semen, cum illud secum perpendisset, Deum vel à mortuis excitare posse, unde illum etiam resurrectionis typo reduxit.

Cum autem Abrahae diuinitus mandaretur filij immolatio, habitabat in Beërseba, quae distabat decem miliaribus aut circiter à monte Moria, in quo templum à Salomone postea conditum fuit. Quare nec tardissime fecit iter, nec properare potuit, cum & magnis doloribus exerceretur, & saepe humi stratus diceret preces, & secedens à comiti-

bus



*bus funderet largum flumen lachrymarum,*  
*et cogitaret significationem huius diuini man-*  
*dati. Sic autem processit biduo, ut tertio die*  
*venerit ad montem Moria, ubi pectoris pa-*  
*terni vulnera refricata sunt oratione blan-*  
*dissima & mollissima filij Isaac. Dixit enim*  
*Isaac gestans ligna holocausti ad patrem suum,*  
*Pater mi, Ecce ignis & ligna, ubi est pecus*  
*ad holocaustum? Hic cogita quale incendium*  
*excitatum sit in corde Abrahæ sola mentio-*  
*ne paterni nominis. Si enim nos lachrymas*  
*vix tenere possumus, quoties hæc verba legi-*  
*mus, quo animo Abraham fuisse putamus,*  
*qui Isaac genuerat, eundemq, optima discipli-*  
*na ad veram Dei inuocationem & ad omni-*  
*um virtutum officia assuefecerat, & hunc uni-*  
*cum habebat tanquam senectutis adiutorium*  
*ac propugnaculum, deniq, quem paulo post in-*  
*terfecturus erat? Sed cur puer hac interro-*  
*gatione utitur? Non certe mani curiositate,*  
*sed vehementer sollicitus de ijs quæ tunc para-*  
*bantur. Sic enim ratiocinabatur, Si non vel-*  
*let pater me esse socium rerum gerendarum,*  
*non reliquisset seruos ad radices montis, nec*  
*me solum in comitatu haberet. Ideo cum soli*  
*essent remotis arbitris patrem interrogat.*  
*Quid igitur respondet patriarcha? Fili mi,*  
*Deus providebit sibi pecus in holocaustum.*

*In hac*



In hac responsione placide acquiescit puer, nec à decoro ætatis sue discedit.

Exposui utcumq; protasin, cui nulla oratio par est. Sequitur in historia Epitasis, quam nemo sine ingenti motu animi legere potest. His enim verbis describitur: Cum pater & filius venissent ad locum, de quo dixerat Deus, edificauit Abraham altare, & ligna composuit. Ligansq; Isaac filium suum posuit eum in altare super ligna, extenditq; manū suam & arripuit cultrum, ut mactaret filium suū.

Sæpe multumq; hoc mecum cogito, utrius obedientia, patris ne an filij maior & admirabilior sit. Magnum & admirandum opus est, quod pater non parcit filio unico & charissimo. Sed non minus opus est, quod filius sine ulla recusatione pium iugulum patri præbet. Moueor equidem, & admiratione velut attonitus obstupesco, cum mentem Abrahæ plenam pietatis erga Deum, plenam amoris erga filium considero. Quo enim quæq; natura præstantior est, eò seorsus habet ardentiores & vehementiores. Sed multò magis moueor, quoties cogito de filiali reuerentia & subiectione Isaac erga patrem. Cum enim ligatus & altari impositus esset, non voce, nec vultu, nec gestu aliquam impatientia significationem ostendit, sed tanquam ovicula obmutuit coram

ram tondente ipsam, nec aperuit os suum. De hac obedientia neq, quomodo dicam, neq, quomodo taceam reperire possum. Quis autem non videt typum Christi Domini nostri in immolatione Isaac propositum esse? Ut enim Abraham non pepercit filio suo: sic aternus Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eodem omnia nobis donauit. Deinde ut Isaac sciens & volens sese patri subiecit: sic filius Dei forma serui assumpta patri aeterno obediens fuit usq, ad mortem, mortem autem crucis. Uterq, autem humeris suis sacrificij materiam gestauit, ille quidem ligna, hic vero crucem. Congruunt & loci ac temporis circumstantiae. Est enim mons caluarie vicinus monti Moria. Scribunt etiam aliqui eodem die immolatum esse Isaac, quo Dominus noster Iesus Christus factus est victima pro peccatis totius generis humani.

Postrema pars huius historiae de immolatione Isaac, continet latissimam catastropham & gloriosum exitum tantorum agonum qui precesserunt. Cum enim pater filij iugulum petiturus esset, & vita Isaac in acie nouacula versaretur, clamauit angelus Domini de caelo dicens, Non mittas manum tuam in puerum, neq, facias illi quicquam. Quoniam  
cogno-

cognoui quod tu timeas Deum. Non enim pepercisti filio tuo unico propter me. Hac con-  
 cio primum docet Deum amantem esse vita  
 & salutis hominum, & abhorrere à macla-  
 tione humanarum hostiarum. Est enim Deus  
 beneficus generiq; hominum amicus. Contra  
 vero demones cum sint mendaces & homici-  
 da humanis victimis litari sibi volunt, ut ad  
 Troiam Graeci nec Polyxena litabant mani-  
 bus Achillis. Deinde testatur Deum esse  
 ἀνθρώπων σωτήρα ὡς ἔργον ἰδὲν ἐβύρω, id est,  
 seruatorem hominum versantium in ipsa no-  
 uacula, seu in extremo periculo atq; discrimi-  
 ne. Quantum enim distat nouacula à ceruice  
 cui admota est, tantum distabat vita Isaac  
 à morte, cum pater arrepto cultro filium ma-  
 ctaturus esset. Sed voluit Deus hac mora ex-  
 ercere fidem Abrahe. Ut enim aurum igne  
 exploratur: sic fides vera ab hypocrisi discer-  
 nitur expectatione consilij diuini, quo libera-  
 tio differtur.

Quid autem gloriosius cogitari potest,  
 quàm haec publica renunciatio, & ut ita di-  
 cam promotio, in qua gradus doctoris Theolo-  
 gie Abrahe decernitur? Non enim homo,  
 sed Deus ipse, nec in theatro humano, sed spe-  
 ctantibus angelis & archangelis, hoc precon-  
 ium de Abraham facit, Nunc cognoui, quoa  
 d tu timeas

tu timeas Deum. *Neg<sup>o</sup>*, vero hæc dicuntur in eam sententiam, quasi Deus antea ignorarit, qualis esset Abraham, & qua mente, qua pietate religionem resq<sup>ue</sup> diuinas coleret, cum hominibus etiam virtus Abrahæ minime ignota fuerit. Quantum enim Deo tribueret, euidenter ipso facto ostendit relinquens charissimos parentes, & patriam, pro qua etiam mori dulce est. Quid igitur significat hæc forma verborum? Nunc scio quod timeas Deum. Comparat Deus hanc obedientiam cum reliquis virtutibus Abrahæ. Magna quidem virtus fuit in Abraham deserente patriam, & cedente nepoti Lot, & reducente ciues Sodomorum, & eiciente ex sua domo Hagar unà cum filio Ismaële. Sed non debet nec potest conferri cum hac obedientia, qua Abraham seipsum vicit, siue ut Christus ait, seipsum abnegauit. Ut igitur Deus Ecclesie commendaret huius operis antecellentiam, hæc verborum formula usus est. Quemadmodum enim homo accepto ingenti beneficio, quod magnitudinem priorum beneficiorum longe superat dicere solet: Nunc reipsa compareo me non tantum à te diligi, sed etiam amari, ut his verbis nouum beneficium attollat, amplificet & exaggeret: Ita Deus humano more loquens dixit, Nunc cognoui, ut signi-



significaret certaminis praestantiam, & timoris antea non ignoti summum gradum. Ne autem haec amplificatio videatur esse hyperbolica, mox addit evidentem probationem suae asseuerationis, Quia non pepercisti filio tuo unico propter me. Non tantum dicit filio, sed etiam unico. Non enim naturam duntaxat, sed etiam φιλοσοφίας, quam virtus pueri ardentiore effecerat, Abraham vicit. Si enim degeneres filios non possunt patres negligere, ut magno in luctu & mœrore est David propter Absolonem interfectum à Ioab, quo animo fuisse putamus Abraham erga filium generosum, unigenitum, dilectum & quidem Isaac, quo interfecto omnes promissiones diuinae euanescere videbantur? Considera autem qualis gemma huic diademati inserta sit. Ut enim diadema regium magni aestimatur non propter aurum, sed propter gemmas quas continet, sic in praconio Dei de Abraham velut gemma insignis eminet haec particula, PROPTER ME. Non enim illud admiratione dignissimum est, quod non pepercit filio, sed hoc, quod propter Deum λογικῶν καρτερίαν praestitit. Laudatur ab Euripide regina Attica, quae volens filiam exhibuit patriae, ut fieret hostia pro salute publica. Sic enim inquit: Concedo ciues, victimam hinc abducite.



*Ut salua sit victrixq; nostra patria.  
Nam filia vite salutem publicam  
Immotam stat sententia, anteponere.*

*Sed non placet Deo hoc opus quamuis arduum & difficile, Non enim à Deo mandatum est, nec fit in agnitione & fiducia mediatoris, nec refertur ad celebrationem Dei. At obedientia Abrabe est λογική λατρεία, ut Paulus loquitur, quia Abraham nouo mandato & certa voce Dei iussus est offerre filium. Deinde regitur hoc opus pralucente fide, siue ut Euagrius ait, ὀρθογούμῳ τῆς πίστεως. Postremo refertur ad hunc finem, ut Deo tribuatur honos.*

*Cum autem Isaac mirabiliter liberatus, & typo resurrectionis, ut verbis Epistola ad Ebreos utar, reductus esset, Abraham sacrificium ita perfecit, ut pro filio suo arietem obtulerit. Perfecto sacrificio Deus repetuit promissionem de Mediatore, cuius typus erat Isaac, & quidem addito iuramento, Per me ipsum iuravi, dicit Dominus, In semine tuo benedicentur omnes gentes terre, quia obedisti voci mee. Hoc iuramentum vere exaggeratur & amplificatur ad Ebreos sexto: Cum non posset Deus per quenquam maiorem iurare, iuravit per seipsum, ut heredibus promissionis certitudinem immotam sui consilij ostenderet,*

deret, & ut per duas res immutabiles firmam consolationem quasi ancoram in medijs fluctibus & procellis haberemus. Nota est etiam vox Tertulliani exaggerantis iuramentum diuinum in libro de pœnitentia: O beatos nos, quorum causa Deus iurat. O miserimos, si nec iuranti Domino credimus. Significat autem hæc promissio omnes gentes iam maledictas esse, hoc est, Deum irasci omnibus gentibus, easq; oppressas esse peccato & morte, sed futurum ut per Abrahæ semen rursum ab his malis liberentur. Sic enim interpretatur benedictionem Abrahæ promissam Paulus Ephesios primo, quod videlicet missus sit Messias, non ut det mundi imperium, sed deleat peccatum & mortem, & instauret iusticiam & vitam, & nos auulsos à Deo rursum cum Deo copulet, coniungat cœlestia & terrestria, id est, Deum & Ecclesiam in cœlo & in terra. Ex eadem promissione quasi quodam sancto augustoz fonte hos articulos doctrine Abraham hauriebat, quorum primus affirmat Mediatorem esse hominem & Deum. Cum enim non angelos, sed semen Abrahæ assumerit, non dubium est eum esse verum hominem. Et quoniam peccatum & mortem abolere, & iusticiam ac vitam eternam reddere non sunt vllius creature opera,

necesse est hunc liberatorem esse verum Deum. Quoniam autem hac beneficia sunt actiones diuinae naturae: tamen sunt à deo in natura assumpta, & sunt iam actiones communes personae, quae est Christus Iesus. Secundus articulus docet Christum conceptum esse de Spiritu sancto & natum ex Maria virgine. Quia enim ab immundo nihil potest mundari, nec medicus alijs opem ferre solet, qui ipse ulceribus scatet, profecto necesse est Christum efficacia Spiritus sancti conceptum esse, ut sit agnus Dei immaculatus tollens peccata mundi. Tertius articulus testatur nos propter solum Christum esse & manere benedictos seu iustos & beatos, quia diserte dicitur, In semine, non in seminibus. Hoc modo Paulus urget pondera verborum Galatas 3. Abrahae dicta sunt promissiones & semini eius. Non dicit seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno, & in semine tuo, qui est Christus. Quartus articulus est doctrina de fide, qua benedictio spiritualis accipitur. Hic modus quo consequimur beneficia Christi significatur verbo Hebraico, Benedicent se. Quintus articulus est descriptio Ecclesiae collectae ex Iudaeis & gentibus. Ne quis enim existimet beneficia Messiae tantum pertinere ad politiam Mosaicam, diserte dicitur, Omnes

Omnes gentes. Has tantas res in promissione propositas esse Abraham intellexit, & hac fide se sustentans, sensit accendi in se nouam lucem, agnitionem Dei & vitam eternam. Nos vero hanc insignem historiam de immolatione Isaac legentes, consideremus fidem & obedientiam Abrahae, & nostram infirmitatem deplorantes cum Apostolis precemur, Domine auge nobis fidem.

Porro cum Sara uxor Abrahae praedita omnibus virtutibus, quas in sancta matrona Paulus requirit, annos centum viginti septem vixisset, mortua est in Hebron, quam Hieronymus scribit dictam esse τετράπολις, quia ibi sepulti sunt quatuor patres, Adam, Abraham, Isaac, Iacob. Quanto autem in luctu & mœrore fuerit Abraham amissa hac socia exilij & opitulatrice in gubernatione domestica, textus his verbis significat, Venit Abraham ut plangeret Saram & fleret eam. Sed hunc luctum moderatus est iuxta regulam quae in versibus Graecis traditur:

Deflendi sunt mortui, sed temperantius,  
 Nam mortui non sunt, eandem sed viam  
 Quam cogit omnes ingredi necessitas  
 Praemunière nobis, nos in posterum  
 Idem sequemur ipsos in consortium,  
 Communis & vita fruemur patriæ.



Et quoniam non ignorabat Abraham corpora sanctorum etiam post mortem honore afficienda esse, tanquam templa Spiritus sancti & organa multarum diuinarum actionum, quae statuto tempore resuscitabuntur, ut fiant conformia glorificato corpori Christi, emit agrum ab hospite Ephron pro coronatis centum & sexaginta sine pro siclis quadringentis, & in eo honorifice sepeliuit coniugis suae corpus. Quis autem non iure miretur mutuam reuerentiam inter Abraham & hospites, qui erant domini Hebron? Ut enim Abraham vera reuerentia & subiectione colit dominos terrae, ita hi vicissim nominant eum principem Dei. Deinde in emendo singulari cura praestat iusticiam ac aequalitatem, quia scit contractus diuinitus ordinatos esse, ut iusta communicatione rerum genus humanum conseruetur, & intelligamus Deum esse iustum, id est, aequalem iuxta regulam quam proposuit.

Postquam vero Abraham naturam expleuit satietate viuendi, mortuus est & congregatus ad populum suum. Nam mors piorum est beata migratio de labore ad refrigerium, de expectatione ad premium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem.

Haele-



Hactenus vicin<sup>2</sup> histori<sup>2</sup>am Abrabæ recitavi, cui epilogi loco addam insigne dictum Reuerendi viri D. Martini Lutheri enarrantis caput 13. Geneseos: Abrabæ historia excellentissima est, quia referta est verbo Dei, quo uniuersæ res ab ipso geste ornantur, precedente scilicet ubiq<sup>2</sup> verbo Dei promittentis, præcipientis, consolantis, monentis, ut appareat Abrahamum singularem amicum & familiarem Dei esse. Mirentur ergo alij historias Alexandri aut Iulij. Nos vero histori<sup>2</sup>am Abrabæ patris omnium credentium magnificiamus, que quo sapius lecta fuerit, eò magis placebit.

O R A T I O D E  
P A T R I A R C H A  
I S A A C.

**M**AGNA dissimilitudo est Ecclesie atq<sup>2</sup> imperiorum. Nam Alexandri & C. Cesaris expeditiones omnium gentium oculis cernuntur, omnium voce & literis celebrantur. Sed ea que geruntur in Ecclesia, non ita incurrunt in oculos uniuersæ multitudinis, & tamen aliquis est cætus, in quo  
d s                      certa

certa & firma testimonia extant de factis diuinis aut de voce Dei. Vult enim Deus fidem Ecclesia certam esse. Huius sententia multa sunt exempla in history; Abrahe, Isaac & Iacob. Etsi enim promissio de Messia pertinet ad totum genus humanum: tamen Deus tantum hos patres alloquitur repetens promissionem. Hi postea testes fuerunt eius vocis, & Deus testimonium eorum nouis miraculis confirmauit. Nam Isaac nascitur ex matre anu & sterili, & in immolatione mirabiliter liberatur. Hec testimonia etsi ab impijs deridentur, tamen pios satis confirmant, qui magnificiunt autoritatem verbi diuini & Ecclesie.

Quantum autem miraculum sit, quod Sara Abrahe coniunx sterilis & efforta sit fecunda, & parit filium Isaac, docet Augustinus libro tertio contra Iulianum cap. 11. Due cause recitantur, propter quas parere Sara non poterat, vna est sterilitatis, que ab ipsa merat iuuentute, Altera etatis, non quia nonaginta annos habebat, sed quia desierant ei fieri muliebria. Constat enim si mulierum secreta cessauerint per etatem, non eas iam posse concipere, etsi fecunde fuerunt, antequam illa cessassent. Et ideo scriptura noluit hoc tacere, vt augetur miraculi gloria, quod erat

erat Deus in eorum prole facturus. Non igitur differt fecundatio Sare à creatione, quæ est fabricatio alicuius rei ex nihilo. Sic liberatio Isaac in immolatione non minus miranda est, quàm resuscitatio nature destructæ & mortuæ. Ideo Epistola ad Ebreos inquit, illum resurrectionis typo reductum esse.

Est autem tota historia Isaac plena arumarum, in quibus lucent exempla fidei, patientiæ & aliarum virtutum, & præsentia filij Dei defendentis & liberantis suam Ecclesiam. Accepta enim promissione de numerosa posteritate totos viginti annos vixit cum coniuge ingenio quidem forma & virtute præstanti, sed sterili, quæ cum fecundata esset, non sine periculo vitæ gemellos Esau & Iacob in lucem edidit. Postea suscepta sobole propter famem novas sedes quasiuit, & peregrinatus est cum familia inter Palestinos, quorum insignis fuit petulantia. Etenim fontes, quos serui Abrabe foderant, iniectis ruderibus obstruxerunt. Hæc historia imago est certaminum inter veram Ecclesiam & hereticos. Fontes, de quibus pastores dimicant, sunt scripta prophetica & apostolica, ut Psal. 68. ducissime dicitur, Benedicite Domino Deo de fontib. Israël. Palestini sunt heretici

corrum-

corrumptentes doctrinam diuinitus traditam. Cum his dimicant pastores Isaac, id est, ministri verae Ecclesiae eicientes cœnum & venena ex fontibus, quos illi obstruere & obturare conantur. Sic Basilius in quadam Epistola hanc historiam interpretatur, Vos, inquit, obseruate Palæstinorum pastores, ne quis occulte vestros fontes obstruat, & puram doctrinam de fide obturet. In hoc enim omni cura & cogitatione incumbunt, non ut simplicioribus animis tradant doctrinam diuinis scripturis consentaneam, sed ut veritatem sapientia externa oppugnent.

Esi autem rex Abimelech aliquantisper defendit hospitem Isaac: tamen ut lenta sunt aularum beneficia, precipites iniuria, paulò post eundem ex oppido Gerar, quod situm fuit inter Hebron & Gazam, ciecit. Nullum atrocius vulnus est, ut ait Sophocles, quàm defectio amici. Sed tetra superbia est & flagitiosa impatientia, nos nolle dolorem perferre, quem alij meliores, ut Abel, Isaac, Iacob, Ioseph, tulerunt. Sciamus igitur Deo placere obedientiam & animi moderationem in talibus arumnis perferendis, & intere tunc ipsi filio Dei curæ esse, hunc esse si-  
delem & firmum amicum. Hac se consolatione Dauid erigebat, inquit, Pater meus &  
mater



*mater mea reliquerunt me, Dominus autem  
assumpsit me.*

*Postea vero Abimelech reconciliatur  
Isaac, & foedus cum eo constituit. Sed nimis  
verum est quod Cicero de discrimine inter  
amicitias integras & reconciliaciones dixit,  
Ego cum omnes amicitias tuendas semper pu-  
taui summa religione & fide, tum eae maxi-  
me, quae essent ex inimicitijs reuocatae in gra-  
tiam, propterea quod integris amicitijs officium  
praetermissum imprudentiae, vel ( ut gra-  
uius interpretemur ) negligentiae excusatione  
defenditur. Post reditum in gratiam, si quid  
est commissum, id non neglectum, sed viola-  
tum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae as-  
signari solet.*

*Cum autem Isaac annos etatis centum  
confecisset, Esau contra voluntatem paren-  
tum duxit uxores Cananeas, quae fuerunt, ut  
scriptura loquitur, amaritudo spiritus ipsi  
Isaac & Rebecca. Non instituo disputatio-  
nem de consensu parentum in sponsalibus, Sed  
tamen laudo vocem Iurisconsulti, quae in titu-  
lo de nuptijs extat: Filij familiarum consen-  
sum habeant parentum, quorum in potestate  
sunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilibus &  
naturalis ratio suadet, in tantum, ut iussus  
parentis praecedere debeat. Et Ambrosius  
in histo-*



in historia Rebecca postulat consensum parentum, idq; dicit adeo honestum & natura consentaneum esse, ut poeta quoq; idem docuerint, & recitat versus Euripidis, apud quem in Andromacha, cum Orestes peteret connubium Hermiones, hæc respondet, Eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt:

Νυμφευμάτων μὴ τῶν ἐμῶν πατρὸς ἐμὸς  
Μερίμνων ἔξει κ' οὐκ ἐμὴν κείνῃν τάδε.

Libet etiam hic adijcere memorabile dictum Plutarchi, quod congruit cum sententia quarti præcepti. Sic enim περὶ φιλασελφίας scribit: Parentibus honorem post deos primum & maximum, non modo natura, sed etiam lex conservatrix nature tribuit, nec ullum officium Deo magis placet, quam si liberi parentibus & nutricis mutuam gratiam pro nutritione summa cum benevolentia & alacritate referant. Contra vero nullum evidentius signum est impie mentis, quam neglectio & contemptus parentum. Nam si quis alios homines iniuria afficit, merito reprehenditur. Si quis autem non studet omnia facere & dicere, que parentibus grata esse intelligit, etiamsi non offendat eos, immanis & impius ab omnibus iudicatur. Quam porro vere à Grecis dictum sit, Time senectam, quia non venit sola, exemplum Isaac declarat. Primum

mum enim sanctissimus senex usura lucis di-  
 urna priuatus est, ut scriptura testatur, Cum  
 fenuisset Isaac, caligo offusa est oculis eius, ut  
 videre non posset. Quis autem non intelligit  
 & probat illud Sophocleum, κατ' ἄποψιν γὰρ ἡδὲ  
 πικρὲς ὄν ἢ ζῶν τυφλός, Melius est non vi-  
 uere quàm esse cœcum. Etsi enim Cicero in  
 quinta Tusculana contrariam sententiam  
 defendit inquiring: Si nox non adimit vitam  
 beatam, cur dies nocti similis adimat? & col-  
 ligit exempla Antipatri Cyrenaiici, Appij  
 Claudij, Diodori Stoici, Democriti & Home-  
 ri, qui nunquam deplorarunt cœcitatem suã:  
 tamen res ipsa loquitur plurimum mali in cœ-  
 citate inesse. Ut enim luce nihil optabilius,  
 nihil præstantius est: sic tenebræ non differunt  
 à morte. Sed ne in re aperta nimis longus sim,  
 accedo ad secundam causam, quæ seni Isaac  
 dolorem auxit. Norat quidem Isaac se ius  
 primogenituræ, quod complectebatur regnum  
 et sacerdotium, ad Iacob transtulisse, nec igno-  
 rabat oraculũ Rebecca datum, Maior seruiet  
 minori. Sed interea Iacob vagatur in exilio,  
 & Esau dominatur tumidus & spiritus altos  
 gerit. Ita enim creuerat potentia Esau, ut fra-  
 tri ex Mesopotamia redeunti cum quadrin-  
 gentis viris obuiam iret. Ac ducentis annis,  
 quibus posteritas Iacob in Ægypto fuit, regnũ  
 Edom

Edom duravit, ut Gen. 36. scribitur, Reges regnarunt in Edom, antequam haberent regem filij Israel. Qua igitur consolatione Isaac animum suum erexit & confirmavit contra scandalum non leue felicitatis impiorum? Sapienter discernibat promissionem aeterni regni à promissione certa sedis, & sciebat Deum promissa prestare mirabiliter, & promissiones bonorum corporalium intelligendas esse cum exceptione castigationis & crucis. Hanc doctrinam in illis spectaculis, que videbantur pugnare cum promissione, disciebat, & expectabat eventus salutares Ecclesie. Non est enim nostrum nominisq; Christiani Deo modum aut tempus prescribere, sed in silentio & spe consilium Domini expectare, qui etsi differt promissa, tamen optima fide prestat, & auget cumulatius munera sua, quam à nobis postulata sunt. Ut igitur promissio diuina re atq; eventu comprobaretur, David in Idumeam extendit calceamentum suum, ut Psalmus sexagesimus loquitur. Etsi autem post mortem Salomonis Idumaei duce Adad à regibus Iuda defecerunt: tamen Ioannes Hircanus Idumaeos domitos coegit circumcisionem & alios ritus Iudaicos amplecti, ex qua gente postea Herodes ortus voluit pro Iudaeo haberi. Hac consonantia predictio-

num &

num & euentuum utrunq; confirmatur & certitudo promissionis diuine, & nostra assensio.

Restat ut de postrema causa dolorum senis Isaac breuiter dicam. Non dubium est venditionem Ioseph auo Isaac luctuosissimam fuisse, cum flammae amoris descendant, & nepotes ardentius quàm filij diligantur. Nam Ioseph in Ægyptum venditus est uiuente adhuc Isaac, qui in communi luctu fuit cum filio Iacob. Dixit autem Isaac post venditum Ioseph annis duodecim, & mortuus est anno ætatis centesimo & octogesimo.

Hæc tota historia referatur ad dictum, quod extat in Epistola ad Ebreos, Non sitis imbecilles, sed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hereditatem accipiunt promissionis.

O R A T I O D E  
P A T R I A R C H A  
I A C O B.

EXTANT dulcissima dicta in epistola ad Ebreos, que monent in historys sanctorum non tantum exempla vite æconomice  
e & poli-



& politica querenda esse, sed precipue genus  
 doctrine, & consensum primorum Ecclesie  
 doctorum in fide & in inuocatione intuendum  
 esse, ut nos ipsos eorum consensu confirmemus.  
 Sic enim autor Epistole ad Ebraeos cap. 6. in-  
 quit: Non sitis imbecilles, sed imitatores eo-  
 rum, qui per fidem ac patientiam heredita-  
 tem accipiunt promissionis. Et cap. 13. Me-  
 mores estote eorum qui presunt vobis, qui lo-  
 cuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imi-  
 tamini fidem, considerantes qui fuerit exitus  
 conuersationis illorum. Quare & in hi-  
 storia Iacob duos locos potissimum considero-  
 mus, quorum alter doctrinam, alter vicissitu-  
 dinem perpetuam tentationum & consolatio-  
 num Iacob proponit.

Multifariam multisq; modis Deus se  
 patriarche Iacob patefecit. Cum enim fugi-  
 ens fraternam crudelitatem venisset ad lo-  
 cum, ubi postea Samaria fuit, & defatigatus  
 non solum labore itineris, sed etiam cogitatio-  
 ne exilij sui & arumnarum Ecclesie nocte  
 somno oppressus esset, vidit scalam stantem in  
 terra, & cacumine coelum attingentem, & in  
 scala angelos ascendentes & descendentes, &  
 Dominum stantem in scale fastigio & pro-  
 missiones amplissimas edentem, Ego, inquit,  
 Dominus Deus Abraham patris tui, &  
 Deus



Deus Isaac, terram super quam tu dormis, tibi dabo & semini tuo, eritq; semen tuum sicut pulvis terra. Et benedicentur in semine tuo iuncte tribus terra, Et ecce ego tecum sum, & custodiam te quocumq; perrexeris, & reducam te in terram hanc, neq; deseram te, donec fecero quae locutus sum ad te.

Experrectus igitur sensit diuinos motus, & Deo gratias egit, agnouit hunc ipsum locum fore Ecclesiae hospitium, & oppidum quod antea ab arbore Amygdalo nomen habebat, mutato nomine nuncupauit domum Dei & portam caeli. In hac narratione primum consideretur admiranda patefactio Dei, quae testatur hunc vere esse Deum, qui se patefecit Abrahae, Isaac & Iacob. Deinde obseruetur promissio de Christo, ex qua discobat Iacob cultum Dei praecipuum esse hanc fidem, qua statuebat se Deo propter hunc Mediatorem placere, non propter propriae dignitatem, & se per hunc mediatorem gubernari, & abolito peccato & morte restitui propter eum & per eum iusticiam & vitam aeternam. Nam ad promissionem, quam & pater & ipse audierant, adiungebat vocem illam; Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et quoniam Iacob sustinet personam totius Ecclesiae, ad nos etiam hanc promissionem accom-

modemus, Ecce ego tecum sum, & custodiam  
 te quocumq; perrexeris, neq; deseram te, &  
 hæc sit ancora qua nos sustentemus inter flu-  
 ctus & procellas undiq; quassantes nostram  
 nauim. In hanc igitur promissionem mens  
 intueatur, & fide eam amplexa dicat: In te  
 Domine speraui, non confundar in æternum.  
 Postremo sit in conspectu dulcissima imago  
 Christi & Ecclesie, qua de multis magnis re-  
 bus pios admonet, videlicet quod per solum  
 Messiam sit aditus ad æternum patrem, &  
 quod hæc persona sit Deus & homo, & quod  
 ascendere nos primum, & à Deo reconcilia-  
 tionem & dona accipere oporteat, & deinde  
 ea proferre & exercere, ut Deus celebretur,  
 & beneficia filij Dei innotescant, sicut Pe-  
 trus inquit, nos vocatos esse ut enarremus vir-  
 tutes eius, qui nos in admirandum lumen vo-  
 cavit. Nam scala est ipse Christus cacumi-  
 ne tangens cælum, quia est in eo natura diui-  
 na. Ideo diserte dicitur Deus innixus fuisse  
 scale. Consistit autem in terra, quia hos  
 assumpsit humanam naturam obnoxiam dolo-  
 ribus & morti. Sed hæc scala tamen coniun-  
 git cælum & terram, id est, Deum & Eccle-  
 siam. Quod vero in hac scala ascendunt &  
 descendunt angeli, significat Christum ipsum  
 gestare Ecclesiam merito & efficacia, & per-  
 ducere

ducere ad aeternum patrem. Porro angeli significant totam Ecclesiam, ac praecipue doctores, qui primum ascendunt, postea descendunt. Debemus enim singuli prius ascendere, id est, querere reconciliationem cum Deo, & ab eo accipere dona propter filium. Postea vero descendere & impertiri haec dona alijs, doctrinam, gubernationem & ministeria iuxta vocationem. Haec dulcissima imago Christi et Ecclesiae, quam Deus ipse proposuit ostensa scala Iacob semper in conspectu habenda est, cum de maximis rebus nos admoneat.

Deinde rediens ex Mesopotamia & metuens fratris hostilem aduentum luctatus est cum filio Dei, unde nomen accepit Israël, id est, princeps Dei, cuius fides tantum habeat robur, ut nullis periculis & tentationibus succumbat. Sed lucte locum vocavit Iacob Penuël, id est, facies Dei. Nam vera fide agnouit filium Dei, & propterea saluata est anima ipsius.

Quod autem Iacob promissionem de semine recte intellexerit, testatur cum inquit, Benedicat pueris istis Deus patrum meorum Abrahae & Isaac, & angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Nec vero dubium est hunc angelum, cuius hic fit mentio, filium Dei esse, quem norat mitti ad Ecclesiam, ut eam

gubernet, protegat, liberet à peccato & à morte. Hac beneficia non præstat ullius creature potentia, sed filius Dei exhibet ea Ecclesie. De hoc Domino restituente iusticiam & vitam eternam haud dubie concionatur cum inquit, Donèc veniat Silo, & ad eum gentes congregabuntur. Etsi autem nomen Silo alij aliter interpretantur: tamen sequens particula manifeste ostendit, intelligi ducem, qui etiam gentes ad Deum placatum congregabit, qui conculcabit caput serpentis, abolebit peccatum & mortem. Et existimo recte reddi vocabulum Silo appellatione salutis & saluatoris. Nec insuavis est etymologia Ebrais nota, qui interpretantur Silob factum eius, videlicet matris, ut congruat ad dictum, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et insigne est  $\chi\beta\epsilon\iota\upsilon\upsilon$  autus. Hic filius Dei assumit humanam naturam imbecilem, que sustinet ingentes dolores, iram Dei & mortem, & pendens in cruce est deforme & cruentum  $\chi\beta\epsilon\iota\upsilon\upsilon$ , ut ipse inquit Psalmo 22. Ego vermis sum & non homo. Et tamen ex morte reuiuiscit. In nobis vero natura immunda prorsus est sordidum & pollutum  $\chi\beta\epsilon\iota\upsilon\upsilon$  peccato. Sed cum ipse hoc nostrum  $\chi\beta\epsilon\iota\upsilon\upsilon$  induit, cum nos voce Euangely & Spiritu suo sancto uiuificat, fit hac pellis templum Dei, & liberatur à peccato & morte.

Con-



Considerata doctrina vicissitudinem perpetuam tentationum & consolationum in historia Jacob intueamur, ut consolemur nos contra scandalum crucis, nec putemus nos propterea non esse Ecclesiam, quod multis eorumnis premimur, & varijs vulneribus sauciamur.

Jacob accepta benedictione paterna fratrem fugit, & solus rebus necessarijs carens proficiscitur in exilium. De hac prima calamitate Jacob Theodoretus in question. Genesios praecclare dixit, Providentia diuina manifestius declaratur in rebus quae videntur aduersae. Nam quibus omnia prospere cedere, non perinde intelligunt, quantis bonis fruuntur. Hac de causa Jacob aufugit, & solus peregrinatur, ut locupletissimus rediens & ipse experiatur quanta sit Dei providentia, & alios doceat hanc Dei procuracionem, quam quidem patefactione sua statim Deus declarauit. Ostendit enim ei scalam ad caelum usque pertingentem, & sanctos angelos ascendentes & descendentes. Ipse vero Dominus stans in scala et alloquens Jacob, confirmat eum tradita amplissima promissione non solum de benedictione posteritatis & de Christo, sed etiam de gubernatione & defensione Ecclesiae. Deinde cum socero Laban hypocrisis



auaro & crudeli totos annos viginti fidelem officij operam præstitisset, & in patriam rediturus esset, Laban generum persequitur, ut eum vel interficiat, vel in seruitutem tanquam mancipium retrahat. Sed reprimitur diuinitus, ut non modo nihil hostile faciat, sed etiam fœdus cum genero iungat. Ita terribilium tyrannorum impetum sepe Deus frangit. Sic Attila interrogatus, cur Leonis Episcopi Romani oratione permotus Rome percussisset, dixit se vidisse senem astantem Leonis, speciem supra humanam terribili, minitantem ei mortem, nisi supplicibus parceret.

Discedens vero Iacob à socero visione angelorum confirmatur, ut audito fratris hostili aduentu non desperet, sed Deum sibi presidio futurum firmiter credat. Et quia periculum maius erat, quàm ut humano consilio extricari posset, recitat precationem plenam ardentissimorum affectuum. Deus, inquit, patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, Domine, qui dixisti ad me, Reuertere in terram tuam, & in patriam tuam, & benefaciam tibi, Minor sum omnibus miserationibus tuis, & omni veritate, quam exhibuisti seruo tuo, quoniam in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc factus sum in duas turmas, Eripe me queso de manu fratris mei,

mei, de manu Esau, *Quia timeo eum ne veniat, & percutiat me, matrem cum filiis.* Hæc pulcherrima forma precatationis septem membra complectitur, quæ diligenter cogitanda sunt. Primum enim non inuocat ut Hecuba apud Euripidem ignara quis sit Deus, An sit ordo nature alligatus ad causas secundas, an vero agens liberum, sed inuocat hunc verum Deum omnipotentem conditorem omnium creaturarum, & conseruatorem liberrium, qui se patefecit patribus Abrahæ & Isaac. Secundo, postquam quis sit Deus cogitauit, & suam precatationem ab Ethnica distinxit, facit mentionem mandati diuini, Tu dixisti ad me, *Reuertere in patriam tuam.* Magna res est accedere ad Deum, ac petere ab eo, non solum ea, quæ dat communi cursu nature, sed etiam alia, cum præter communem cursum in nostris erumnis nos liberat. Hic igitur opus est verbo Dei testificante de voluntate eius, quod iubeat se inuocari. Tertio adiungit promissionem & in hac acquiescit, Tu dixisti, *benefaciam tibi, id est, volo te exaudire, recipere & iuuare inuocantem.* Quarto agnoscens propriam indignitatem exclamat, *Longe minor sum omnibus miserationibus tuis.* Ita singuli dicamus inter precandum, *Confugio ad te æterne Deus, in*

magno meo dolore & periculo. Et quanquam scio me indignum esse, tamen quia propter filium promissisti, te nos recepturum esse & exauditurum, confido me & meas preces recipi. Scio enim te veracem esse. Scio etiam mediatorem pro me deprecantem exaudiri. Quare oro, ut remittas peccata mea, gubernes me, & in ira misericordiae recorderis, mitiges penas propter tuam gloriam. Quinto commemorat priora beneficia, quia uterque cultus necessarius est petitio & gratiarum actio. Sexto discrete nominat rem petendam, *Defende me*. Non enim sit oratio inanis βαρηλογία, sed res corporales & spirituales necessariae communi & privatae saluti expresse petantur. Postremo urget causam finalem liberationis, *Ne interficiantur matres & filii*, id est, ne pereat Ecclesia. Sunt enim causae finales liberationum, ut seruetur Ecclesia, ut agnoscatur Dei praesentia, & ut fides confirmetur.

Post hanc precationem, qua nihil ardentius cogitari potest, defensus est Iacob contra Esau, qui fraternam benevolentiam & fraternam officia deinceps ei praestitit iuxta dictum Salomonis, *Cum placuerint Deo via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem*. Cum enim Deus sit liberrimum agens, sapissime consilia & voluntates hominum flectit quo  
vult

vult sine causis secundis. Sic Alexander magnus, ut narrat Iosephus lib. 11. τῆς ἀερολογίας cap. ultimo, cum hostilem exercitum urbi Ierosolymæ admoturus esset, conspecto summo sacerdote Iaddo non modo nihil hostile facit, sed eidem etiam sit supplex.

Profectus igitur Iacob in Sichem, quæ fuit in confinio Manasse & Ephraim, extruxit altare, & congregavit Ecclesiam ad concionem & ad sacrificium, ut testaretur se non casu, nec humanis presidij, sed à Deo servatum & defensum esse.

Ut autem semper noua procella Ecclesiam obruant, sic exitus prioris periculi in Ecclesia domestica Iacob est gradus futuri. Nam unica & charissima filia Iacob stupratur ab Hemor filio Sichem, qui erat princeps oppidi, quod alio nomine Salem appellatur. Iam cogita quantus sit dolor patris videntis unica filie summum probrum. Etsi enim paternum pectus acri dolore afficitur, cum videt charissime filie summam calamitatem: tamen acrior dolor est in animo paterno, quoties spectator est probri deformantis totam familiam, ut primi parentes magis dolent propter scelus Cain, quàm propter necem Abelis. Augent etiam summi luctus acerbiter reliqua circumstantiæ. Etenim virgini non  
dum



dum nubili vis affertur in regione pacata & tranquilla, non quidem ab hostibus, sed à vicino, ab amico, à principe, cuius officium est defendere leges & disciplinam. Miserrimum est mature virginis castitatem violari, Miserrimum est nondum maturam coniugio per vim stuprari. Acerbum est in bello rapi virginem, Acerbius in pace. Calamitosum est ab hostibus accipere iniuriam, Calamitosius à vicinis atq; amicis. Indignum est à priuato casti pudoris decus expugnari, Indignius à principe. Luctuosum est hominis obscuri filiam deformari, Luctuosius tanti patriarche. Horribile est extra Ecclesiam tantum furorem grassari, Horribilius in ipsa Ecclesia. Cur autem permittit Deus precipua lumina Ecclesie tot, tantis, tam indignis afflictionibus exerceri? Ut Ecclesia intuens in eorum exempla confirmetur in perferendis ærumnis. Hæc enim exempla admonent nos de modestia, ne singularem fortunam expetamus. Cum enim filius Dei caput nostrum & precipua membra magnas calamitates certo Dei consilio tulerint, profecto inaequale & iniustum esset, nos tantum suaue otium expetere, cum quidem ira Dei nostris delictis irritata sit.

Etsi autem Iacob tanquam muta columba suum dolorem dissimulauit: tamen fratres puella



puella Simeon & Leui iusta indignatione ir-  
 ritati Syllam imitati sunt, qui fuit & vulpes  
 & leo. Utentes enim insidiosa doloris sui oc-  
 cultatione patri Sichem & filio Hamor per-  
 suaserunt, ut reciperent unà cum ciuibus ri-  
 tum circumcisionis. Postea vero cum ciues  
 Sichem nihil insidiarum aut periculi metue-  
 rent, à fratribus Dine interfecti sunt, qui  
 dum nimis iam putrida membra recidunt,  
 Excessit medicina modum, nimirumq; secuta  
 est Qua morbi duxere manus, ut de Sylla  
 scriptum est. Non laudo hanc inordinatam  
 vindictam, quam nec pater Iacob approba-  
 uit. Est enim ulciscendi & puniendi modus.  
 Sed non possum reprehendere iustum iudici-  
 um Dei aduersus confusionem libidinum. Se-  
 pe enim propter paucorum petulantiam totæ  
 ciuitates & gentes delentur. Nota est histo-  
 ria & sepe repetitur de sceleribus Lacedæ-  
 moniorum, quæ proxime cladem Leuctricam  
 antecesserunt. Fuit in pago Leuctris vir ho-  
 nestus Scedasus, qui duas filias habuit, cumq;  
 duos Lacedæmonios hospitio excepisset, hi for-  
 ma filiarum capti post paucos dies redeunt,  
 & absente patre per vim stupratas filias in-  
 terficiunt & in proximum puteum abijciunt.  
 Rediit pater & canicula monstrante cadaue-  
 ra proficiscitur Spartam, ut petat supplicium  
 sumi

sumi de sceleratis hospitibus. Ibi derisus ab Ephoris egreditur ciuitate & ei dira imprecatur. Breui post adducunt Lacedaemonij exercitum in illum ipsum locum, ubi virgines sepulta erant. Ibi tanta multitudo Lacedaemoniorum à Thebanis interfecta est, ut imperium Sparta amisit & pene funditus deleta sit. Cum igitur Deus in eo ipso loco punierit Lacedaemonios, qui sceleris vestigium fuerat, voluit homines & de magnitudine perpetrati sceleris, & de iudicio diuino commonesieri. Hac historia recitatur à Plutarcho in narrationibus amatorijs. Sed passim proponuntur exempla in historijs & in quotidiana vita, quae monent homines de iudicio Dei, & testantur verissimam esse regulam. Atrociora scelera atrocibus poenis in hac vita puniri. Quare ad historiam Iacob redeo, quae est perpetua tela crucis. Cum Simeon & Levi interfectis ciuibus Sichem & direpta vrbe, patris & totius familiae vel potius domesticae Ecclesiae vitam in extremum discrimen adduxissent, Deus expresso mandato iubet eum discedere ex loco, in quo periclitabatur, & terrorem vicinis incutit, ne hanc discessionem impediunt. Venit igitur Iacob Luzam, ubi antea viderat Dominum innixum scale, & locum noua appellatione notauit, ut memoria propa-

propagaretur huius admirande patefactionis diuine. Cum enim antea nuncupatus esset Luzā, id est, amygdala, postea dictus est Bethel, id est, domus Dei. Eodem loco Ieroboam post Salomonem vitulum aureum collocauit, ut videretur sequi exemplum patrum, qui ibi Deum adorassent. Sed propheta mutant honestam appellationem veterum, & nominant hunc ipsum locum Bethauen, id est, domum sceleris & antrum Diabolorum, ut taxari impium cultum populus intelligeret, nec deciperetur mentione exempli patrum.

Inde ad patrem Isaac rediturus amiscit in agro Bethlemitico seu Ephrataeo charissimam coniugem Rachelem. Nec vero dolor est maior, ut præclare quidam scripsit, quam cum violentia mortis vnanimi soluit corda ligata fide. Hunc dolorem conceptum ex obitu Rachelis auxit immane scelus Ruben primogeniti, qui incesta consuetudine nouerca sese impie ac tetre polluit. In hoc scelere omnia nefaria contineri mihi atq; inesse videntur. Primum enim Ruben Deū offendit, qui cum sit mens castissima horribiliter irascitur omnibus incestis et vagis libidinibus, & iram suam declarauit in pœnis Chananeorum, Oedipi, regum Aegyptiorum, & aliorum innumera-bilium. Deinde violauit patris torum, cui  
maxima

maxima reuerentia debetur iuxta dictum, Relinquet homo patrem & matrem & adhaerebit uxori suae. Praeterea contaminauit Ecclesiam non aliter quàm vpupa suum nidum contaminare dicitur, & multos hoc scelere à doctrina quam pater profitebatur abalienauit. Denig suam & nouerca conscientiam horribiliter sauciuit, & toti posteritati pœnas accersuit, quae uoce patris uelut oraculo ei denunciatae sunt, Effusus es sicut aqua. Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratam eius. Vagantur enim pœnae libidinum per filios & nepotes iuxta regulam, Peccata seminis puniuntur in semine, id est, in posteritate.

Sed nullum atrocius vulnus accepit Iacob, quàm uenditionem Ioseph. Venditur enim Ioseph non à peregrinis, sed à fratribus, qui ut scelus suum tegerent, uestem cruentam patri exhibent, perinde quasi à bestiis lacertus esset. Hæc Epitasis est calamitatum Iacob, in qua lucent exempla fidei & aliarum virtutum, & presentia filij Dei liberantis eum. Nam Ioseph, cuius interitum pressis & flebilibus modis deplorauerat pater, ex tenebris in lucem, & ex morte in uitam reuocatur, seruatus diuinitus, & ingenti gloria à rege Aegyptio ornatus.

Multi



Multi autem à nobis querere solent, quam ob causam tanto temporis spacio interiecto, nec Ioseph certiore fecerit patrem de seruitute, neq; Deus illam reuelarit ipsi Iacob. De hac questione pie & grauitè respondet Theodoretus, Quoniam, secundum quod Abrahæ prædictum erat, denunciauerat Deus ipsi Iacob, descensurum illum in Egyptum unà cum filijs & nepotibus, Qui si sciuisset, quæ filio suo Ioseph acciderant, haud dubie misso redemptionis precio eum reduxisset. Hac de causa permisit Deus Iacob in luctu versari, & ut prædictioni euentus responderet, & ut Ecclesia in fame aleretur. Quod si patriarcha filij seruitutem nouisset, illum redemisset. Redemptus autem nunquam carceri inclusus fuisset, atq; ita minime interpretatus esset seruis illis somnia. Hac autem nisi interpretatus esset, nequaquam innotuisset Pharaoni. Incognitus autem, per somnia prophetiam non aperuisset. Hoc autem non factò, gubernatio Egypti nunquam illi fuisset commendata, quam nisi accepisset, minime patriarcham unà cum familia in Egyptum transtulisset. Etsi igitur faciem Dei, id est, cõsilia in gubernatione Ecclesie non cernimus: tamen posteriora videmus, hoc est, ex euentu utcumq; ratiocinamur quæ fuerit intentio di-



*uina dispensationis. ἐν τῷ τέλει γίνεται δῆλος  
 τῆς θείας οἰκονομίας ὁ σκοπὸς. O beatos qui  
 consilium Dei in silentio & spe expectant.  
 O miseros qui inconcessa remedia dolorum  
 querunt, de quibus à Basilio dictum est,  
 πολλὰ ὡς τὸ τῶν γινόμενων ἐπιπονον ἀπάγο-  
 ρεύοντες τὸ τῆς ἐμβάσιος ὠφέλιμον ἐπὶ ἀμαρ-  
 θίας οὐκ ἀναυθίσουσιν. Multi presentium a-  
 rumnarum asperitate offensi, exitum saluta-  
 rem propter inscitiam non expectant. Etsi  
 autem multa sunt in tota historia patriar-  
 che Iacob, que piam mentem delectare pos-  
 sunt: tamen hoc dictum memoria dignissi-  
 mum est, quo curriculum huius vitæ describitur.  
 Cum enim Iacob à rege Egyptio Pha-  
 raone interrogatus esset, quot annos etatis  
 confecisset, respondit, Dies peregrinationis  
 mee sunt pauci & mali. In hoc dicto primum  
 comparatur hac vita peregrinationi, quia  
 curriculum huius mortalis vitæ est iter du-  
 cens vel ad mirandam societatem & latissi-  
 mam consuetudinem cum Deo & cœlesti Ec-  
 clesia, vel ad cruciatus nunquam finiendos.  
 Non est enim locus medius, ut ait Augu-  
 stinus lib. 21. de C. Dei cap. 25. ubi non sit in  
 supplicio, qui illo non fuerit constitutus in  
 regno. Quare nihil aliud in hac vita pere-  
 grinationis nostræ meditemur, nisi quia &  
 hic non*

hic non semper erimus, & ibi nobis locum bene viuendo preparabimus, unde nunquam migremus, ut idem Tractatu 31. in Ioannem dixit. Deinde hoc insigne dictum testatur mortem propter incertos casus quotidie imminere, & propter breuitatem vite nunquam procul posse abesse. Longe igitur anteferenda est infinita aternitas breui & exiguo curriculo huius mortalis vite. Postremo hac vita non solum fugatissima, sed etiam miserrima est. Nam prima pars sese nescit. Media curis inuoluitur. Ultima molesta senectute premitur. Quae cum ita sint, non de hac exigua & misera vita, sed de illa perpetua, quae est sola vita nominandi, cogitemus, & ad eam nos preparemus, sicut scriptum est, Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Cum autem Iacob senio confectus suum diem obiturus esset, mandauit sepeliri corpus suum in Hebron, non quod de sepultura valde sollicitus esset, sed ut familiam suam consolaretur & doceret, Dominum Deum educturum illos omnes ex Aegypto, & daturum illis terram promissam. Sic & Ioseph moriturus dixit ad fratres, Ecce ego morior, sed visitabit vos Dominus, & educet vos ex hac terra in terram, de qua iurauit patribus nostris Abraham, Isaac & Iacob. Et iureiurando

rando Ioseph obligavit filios Israël dicens, Cum visitabit vos Deus, efferetis etiam hinc ossa mea vobiscum. Itaq; certum est & illum & hunc denunciantes reditum in terram promissam hac præcepisse de sepultura.

Postquam autem finem fecit Iacob præcipiendi filiis suis, expiravit & collectus est ad populum suum. Hæc forma verborum testatur nec animas nec corpora hominum in nihilum redigi, sed restare aliam vitam, in qua bene sit bonis, & mali supplicijs afficiantur. Si enim homines prorsus interirent, & non transirent ad aliam vitam, minime dixisset Moyses, Collectus est ad populum suum.

Hactenus de historia Iacob brevissime dixi, in qua primum consideretur genus doctrine proprium Ecclesie, idq; ab omnium temporum mendacijs & imposturis discernatur. In hac consideratione letemur nos amplectentes idem doctrine genus membra esse veræ Ecclesie, recipi & exaudiri à Deo. Postea aspiciamus testimonia, quæ Deus Iacob tribuit in multis mirandis liberationibus, quæ ostendunt huius viri doctrine credendum esse. Imitemur etiam inuocationem & alias

virtutes Iacob, quæ etiam sunt testimonia de Deo & de presentia Dei in Ecclesia.

O R A T I O D E  
P A T R I A R C H A  
I O S E P H .

**Q**UANDO VAM omnes historiae, quas Moses in primo & antiquissimo Ecclesiae scripto recitat, & doctrinam gravissimam, & gratissimam consolationem nobis proponunt: tamen diligentissime consideretur historia Ioseph, per quem regnum Aegyptium eo tempore florentissimum constitutum est, & propagata vera religio in magna Aegypti parte. Primum enim testatur Ecclesiam in hac vita regi ac servari à Deo mirandis modis, quos non potest humana ratio proficere, & tandem glorificari, etsi ante catastrophas varijs calamitatibus exercetur. Quid enim est tam admirabile, quàm quod Deus adolescentem Ioseph, optimo ingenio, & placidis ac suavissimis moribus praeeditum, quo pater vnice delectatur, in mare malorum, hoc est, in arumnas exilij, seruitutis & carceris abiicit, & cum ipsum ex carcere liberatum principem in regno Aegyptio constituit? Itaq; mihi libet cum Davide exclamare: Cognoscite quoniam mirabiliter regit Dominus sanctum suum. Etsi enim fratres

f 3      incitati



incitati à Diabolo conantur perdere Ioseph :  
 tamen Deus seruat eum , & hæc ipsa calamitas  
 fit , Deo gubernante , modus ad salutarem  
 exitum , sicut inquit Ioseph post sepulturam  
 patris : Vos quidem cogitastis de me malum ,  
 sed Deus vertit illud in bonum , ut exaltaret  
 me , & saluos faceret multos populos . Non  
 vult , nec approbat , nec mouet Deus mentes  
 impiorum , qui seruiunt in Ecclesiam , sed me-  
 tas constituit & seuitia , & consilijs hostium  
 Ecclesia , ne possint nocere quantum volunt , &  
 tamen sanctos interea exercet , & tanquam  
 palmites propagatos ex Christo purgat , ut  
 fructum vberiore gignant . Hæc miranda  
 gubernatio sanctorum , quos Deus mortificat  
 & viuificat , deducit ad inferos & reducit ,  
 omnium primum in historia Ioseph considere-  
 tur . Deinde exempla virtutum Ioseph nobis  
 proponamus , eaq; imitari studeamus . Vide-  
 mus Ioseph & alios sanctos horribiles erum-  
 nas sustinuisse . Cogitemus ergo voluntatem  
 Dei esse , ut Ecclesia sit subiecta cruci , nec nos  
 abiectos esse , etiamsi dura patimur . Imite-  
 mur & inuocationem quam illi in cruce ex-  
 ercuerunt , tolerantiam , spem , & alias virtu-  
 tes . Deniq; hæc historia quasi prophetia est ,  
 significans Ecclesia omnium temporum similes  
 calamitates , consolationes & liberationes .  
 Ut enim



Ut enim Ioseph à fratribus venditus est, sic Ecclesia omnibus atatibus à perfidia falsorum fratrum crudelius quàm à seuitia tyrannorum laceratur. Horum exemplorum consideratio pios erudire & confirmare & consolari potest. Sciamus Deo placere obedientiam & animi moderationem in talibus arumnis perferendis, & interea nos ipsi filio Dei cura esse, hunc esse fidelem & firmum amicum. Hac consolatione se Dauid erigebat, inquit: Pater meus & mater mea reliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

Distribuam autem historiam Ioseph que mihi non dissimilis videtur Comœdia in aliquot actus, & ut lectio sit magis perspicua, initio tempora annotabo. Ioseph anno etatis sue septimo decimo in Ægyptum à fratribus perfidiosus venditus est, viuente adhuc Isaac, qui in communi dolore & luctu fuit cum filio Iacob. Vixit enim Isaac post venditum Ioseph annos duodecim. Ioseph cum esset triginta annorum ex carcere educitur & constituitur princeps Ægypti. Seni Iacob redditur Ioseph anno tertio & vicesimo, postquam fuerat amissus. Ac fuit Iacob in Ægypto fruens dulcissima consuetudine filij Ioseph annos septem & decem. Ioseph vixit annos centum & decem. Ex hac tabella ani-

maduerti potest, Ioseph annos tredecim magnam fortuna varietatem ac vicissitudinens expertum esse, & patrem Iacob in luctu & squalore annos duos & viginti confecisse.

Sit igitur primus actus etas Ioseph ante venditionem, in qua studia & mores sanctissimi adolescentis considerentur. Non dubium est Ioseph ab auo Isaac & à patre Iacob clarissimis & spectatissimis in Ecclesia doctoribus, vera agnitione & inuocatione Dei imbutum, & ad omnium virtutum officia assuefactum esse. Quae enim & qualis fuerit horum virorum doctrina, saepe aliàs dictum est. Non enim tantum moralia praecepta, quae natura nota sunt, liberis suis tradiderunt, sed etiam vocem Euangelij, quae in scriptis prophetis & apostolicis de filio Dei & aeternis eius beneficijs postea scripta est, & quae est propria Ecclesiae doctrina, & eam à ceteris gentibus discernit. Et quoniam haec doctrina sine literis percipi non potest, haud dubie Ioseph in omnibus ingenuis artibus ita versatus est, ut reliquos fratres longe superaret, nec linguam modo acueret exercitatione dicendi, sed & ipsam eloquentiam locupletaret grauiorum artium instrumento, & usdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentia laude iungeret. Huius assuevationis duo  
mibi

mibi firmissima argumenta afferrī posse videntur, vnum quod post venditionem constans fuit in retinenda puritate doctrine, alterum quod post liberationem gloriosam erudiuit principes Egypti, ut Psalmus ait, iuxta voluntatem suam, & senes sapientiam docuit. Est enim illa Augustini vera & vobis certe non inaudita vox: In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientie, que inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur. Nec facile inueniuntur in aduersitate presidia, que non fuerint in pace quesita. Non igitur potuisset Ioseph decus constantie inter arumnas exiliy, seruitutis & carceris retinere, sed impijs terriculamentis & illecebris tanquam ventis contrarijs cessisset, si non in domo paterna firma assensione doctrinam prolatam à filio Dei ex sinu eterni patris & traditam Ecclesie amplexus esset, & propter hanc nulla pericula, nullos cruciatus defugiendos esse didicisset. Neq; vero solus Ioseph inter principes Egyptios Deum vera inuocatione coluit, sed eius gubernatio teste Psalmo, regem sua etate regnantem & multos qui vnā Remp. administrabant ad agnitionem veri Dei pertraxit. Hoc exemplum studiosa inuentus sibi ad imitandum proponat, & donec halcyonia Dei munere nobis con-

*bis concedantur, discat doctrinam de Deo & alias honestas artes, ut & priuatim consolationem habeat, & possit esse vsui in gubernatione, ad quam profecto nemo sine varietate artium & literarum, satis ornatus potest accedere. De hac diligentia discendi Paulus præcipit, cum ad Titum inquit capite tertio: Discant & nostri honestis officijs præesse ad necessarios vsus, ne sint inutiles. Vult enim Christianos non defugere communis vite gubernationem, sed suscipere partem communium arumnarum, ut tanquam margarita agitata magnis procellis fiant generosiores, ac discant diuinitus circundari auctoritatem pijs, & regi euentus, sicut Ioseph & Daniel in magnis imperijs diuinitus euecti, res maximas sapienter & feliciter gubernarunt.*

*Deinde Ioseph reliquos fratres non solum doctrina & industria, sed etiam grauitate morum & iusticia vicit, & vitam suam ad eam normam direxit, quam Paulus his verbis Ecclesie proposuit: Ceterum fratres, que sunt vera, grauitati conuenientia, iusta, casta, amabilia & laudabilia, virtutem & laudem cogitate, sicut didicistis & hæc facite. Harum virtutum officia optimus adolescens studiosissime diligentissimeq; præstitit. Primum enim fuit verax, quia ceteras virtutes omnes*



omnes gubernauit firma assensione & confessione de vera & incorrupta doctrina. Deinde in omni sermone, gestu & actione fecit necessaria & conuenientia modestia & constantia, & omni cura uitauit futilitatem, uanitatem, uirulentiam, scurrilitatem, denique arrogantiam in gestu & sermonibus. Quid dicam de iusticia, qua Ioseph non modo neminem iniuria affecit, sed etiam erga omnes benescus fuit? Est enim iusticia proprium, neminem ledere, & semper aliquid ex se promere, quod alijs prosit. Adde huc castitatem, que precipuum Ecclesie decus est & summum ornamentum post agnitionem uerae doctrine. Ad has uirtutes adiunxit Ioseph *ἐπιεικειαν* condonantiē priuatas offensiones publice tranquillitati. Non enim dubium est, quin hic adolescens multas grauissimas fratrum iniurias communis concordie causa, uoluntaria quadam obliuione contriuerit, & sapienter ac moderate tulerit errores & contentiones, quas Demosthenes appellat communes morbos omnium societatum. Quanta porro diligentia uitauit scandala deformantia doctrinam & Ecclesiam, hinc percipi potest, quod parentem de atrocibus dissidijs & lapsibus fratrum, tanquam episcopum domesticæ Ecclesie certiorum fecit, eamque ob rem in flammam inuidie frater-



fraterna incidit. Postremo non voluit videri, sed esse bonus, nec inani ostentatione, sed recte factis bonam famam sibi comparavit. Praclare enim Socrates hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiarium dicebat esse, Si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Quod autem spectaculum bonae menti iucundius esse potest, quam intueri adolescentem his virtutibus, veritate, gravitate, iusticia, castitate, temperantia, patientia, diligentia vitandi scandala eximum atq; illustrem? Sed haec de studijs & moribus Ioseph breuiter dixisse satis sit. Sequitur ut de somnijs dicamus, quae hic adolescens secundum quietem vidit de manipulis fratrum adorantibus manipulum ipsius, deq; Sole, Luna, & undecim stellis ipsum venerantibus. Cum autem quatuor sint somniorum genera, Physicum, Praesigiens, Diuinum, & Diabolicum, nunc omissis ceteris generibus, de diuinis pauca commemorabimus, quia in tota historia Ioseph crebra sit mentio somniorum. Sunt autem diuina somnia, quae Deus ipse humanis mentibus non de leuibus negocijs, aut rebus nugacibus & momentaneis, sed de Christo, de gubernatione Ecclesiae, de imperijs, & alijs mirandis euentibus monstrat, & quibus semper addit testimonia, ut mentes sciant

sciant non temere ea obijci, neq; ex natura  
 nasci, sed offerri diuinitus. Talia fuerunt  
 somnia Iacob, Ioseph, Pharaonis, Nabogdo-  
 nosor, Danielis, Iaddi & aliorum, de quibus  
 propheta Ioël inquit: Senes vestri somnia  
 somniabunt. Hæc intelligere & interpretari  
 peculiare donum est Spiritus sancti, quale  
 tributum patriarcho Ioseph & Danieli  
 propheta legimus. Ac diuina omnia signifi-  
 catiua sunt, & horum alia deueniunt di-  
 cuntur, quæ explicite diserteq; monent de  
 euentibus futuris, aut alijs rebus, quas pre-  
 sciri prænosciq; vult Deus, vt declinentur pe-  
 ricula nocitura priuatim aut publice: Que-  
 dam ἀλληγορικά, quæ figurate idem docent,  
 cuiusmodi sunt somnia Ioseph, quæ quidem ad  
 ipsum ἐνοπιήστω pertinent. Sunt autem tria  
 signa somnii diuinitus monstrati, primum ve-  
 hemens impressio, quæ adeo permouet ani-  
 mum, vt ardeat incredibili desiderio cogno-  
 scendi significationem. Sic Pharaon & Na-  
 bogdonosor non possunt conquiescere nisi mon-  
 strata significatione earum rerum, quarum  
 imagines secundum quietem viderant. Al-  
 terum est interpretatio. Hoc testimonium  
 additum est somnio Nabogdonosor, quia cum  
 rex imaginem ostensam oblitus esset, Danieli  
 eam Deus unâ cum interpretatione rursus  
 ostendit,

ostendit, ut se autorem esse testaretur. Tertium est executio. Etsi enim de alijs somnijs dictum Salomonis usurpari potest: Ubi multum est somniorum, ibi multum est vanitatis et errorum: tamen diuinis somnijs respondent euentus, quos Deus ipse in Ecclesia & in imperij gubernat. Atq; hæc mihi dicenti, uenit in mentem, imaginem trinitatis in hoc genere somniorum lucere atq; conspici. Etsi enim omnes actiones externa sunt communes tribus personis: tamen sua cuiusq; persone est proprietas. Pater æternus monstrat somnia, quæ nominamus *διδραμματα*. Filius est interpret somniorum, quæ non pertinent ad communem regulam, quæ diuinationes ex alijs somnijs prohibet. Spiritus sanctus exequitur somnia tanquam causa *τελεωτικῆ*. Sed nolo huic commemorationi diutius immorari. Etenim hæc ipsa forsitan longiora fuerunt quam necesse fuit. Deinceps igitur de fratribus Ioseph dicendum erit, qui audita recitatione somniorum maiores odij flammæ aduersus fratrem conceperunt, & cruenta consilia animo agitarunt, quæ pugnant cum luce & affectu naturali. Est autem in fratribus Ioseph propositum illustre exemplum cæcitatæ & amentia hostium filij Dei & Ecclesiæ. Si enim fratres Ioseph existimant omnes imagines somnio-

somniorum vanitatis plenissimas esse, cur metuunt hec simulachra fugacia & euanescentia, quorum nullum subest quasi corpus? Sin autem eis persuasum est, idq; exploratum omnino ducunt, somnia Ioseph diuinitus impressa esse, cur Deo aduersa fronte repugnantibus consilium eius impedire conantur? Quod igitur sapiens vir Gamaliel Actorum s. dixit, id non inepte, nec intempestiue ad emulationem fratrum Ioseph pugnantium de antecellentia iniustus modis accommodari potest: Si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissoluetur, sin ex Deo est, non potestis dissoluere.

Secundus actus huius historie sit venditio Ioseph, qua omnes homines de infirmitate nature nostre & de insidijs Diaboli, deq; alijs magnis rebus admonet. Adeo grassantur Diaboli, ut etiam in hoc paruo cœtu, in familia Iacob incitent præcipuos viros ad atrocissima scelera. Polluitur incesta consuetudine coniunx patris à filio. Deinde multi conantur interficere fratrem Ioseph. Quis non cohorrescat hæc immania exempla cernens in illa familia, quam vere esse Ecclesiam Dei nihil dubium erat? Hæc cum acciderint in illa domestica Ecclesia, que nervos discipline plures habuit, quàm Ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperijs: cogitemus & hanc postremam mundi  
sene-



*senectam multis morbis & delirijs obnoxiam esse, & propheta querelam ad haec secula quoque pertinere, qui ait: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodomam facti essemus. Cum autem verissima sit regula à Platone tradita in Timeo: Omne quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est, Nullius enim rei causa remota, reperiri origo potest, quaeramus si placet causas, quibus filij Iacob impulsus fratrem Ioseph è medio tollere conati sunt. Ac prima quidem causa odij ardentis aduersus Ioseph his verbis in Genesi recitatur: Ioseph deferebat ad patrem malam famam, quae de fratribus spargebatur. Existit autem hoc loco quaestio, An qui vera crimina de alio dicit puniendus sit. De hac quaestione respondet lex, Non esse puniendum. Verba legis haec sunt: Eum qui nocentem infamavit, non esse bonum & equum ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota esse & oportet & expedit. Ac praesertim Ecclesiae interest, non solum culpam cauere, sed etiam malam famam, quae praebet occasionem condemnandae Ecclesiae & doctrinae Ecclesiasticae. Ut enim bona conscientia singulis opus est propter inuocationem, sic bona fama necessaria est propter proximum. Carendum est igitur non modo crimine turpitudinis,
   
 verum-*



verum etiam quoad eius fieri potest suspicio-  
 ne, ut Paulus Thessalonicensib. diserte prae-  
 cipit: *Ab omni specie mala abstinete. Quod*  
*si Ioseph falsum crimen ad patrem detulisset,*  
*potuissent eum fratres vicissim accusare συ-*  
*νοφartias, ut in iure Romano licet accusare*  
*calumniatorem, qui condemnatus infamis est.*  
*Iam cum nimis vera fuerit accusatio Ioseph,*  
*eag, ex officio suscepta ad emendationem fra-*  
*trum spectarit, haud sane intelligo an Ioseph*  
*ob eam rem odio dignus esse videatur. Al-*  
*tera causa immanis & implacabilis odij fuit*  
*ardentior  $\sigma\omicron\epsilon\gamma\eta$  patris erga Ioseph. Videntes*  
*enim fratres eius, quod à patre vnicè dilige-*  
*retur, oderant eum, nec poterant cum eo a-*  
*manter colloqui. Libet mihi hoc loco repetere*  
*axioma à Cicerone usurpatum in secundo li-*  
*bro de diuinatione: Quicquid oritur quale-*  
*cung, est, causam habeat necesse est. Cum*  
*igitur nihil sine causa fiat, profecto consenta-*  
*neum est patrem Iacob habuisse probabiles*  
*rationes, cur Ioseph praecipuo quodam amore*  
*complecteretur. Neq, vero obscura aut igno-*  
*tae sunt rationes, sed his verbis à Mose si-*  
*gnificantur: Israël diligebat Ioseph praecun-*  
*ctis filiis suis, eò quod in senectute genuisset*  
*eum, siue ut Chaldaica paraphrasis inquit:*  
*Dilexit eum, quia fuit ei filius sapientiae se-*  
g
num,

num, hoc est, senili sapientia & virtute præditus. Nam heroici motus sunt excellentes impetus, qui longe superant vires communes humana nature. Ut Alexander iuuenis consilio vicit sapientissimos senes, Clitum, Parmenionem & alios, propter admirandam ingenij sagacitatem, qua & dijudicare optima poterat & prospicere euentus. Ioseph vero non tantum excelleret heroicis donis, sed etiam habebat adiutorem Spiritum sanctum, qui à propheta spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis appellatur. Quare cum sapientia & virtute nihil sit formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, minime mirandum est, hoc φιλῆρον in corde Iacob accensum esse mirificum quendam amorem erga Ioseph. Tertia causa est φιλαγλία, id est, dominandi cupiditas, de qua venustissima similitudo apud Plutarchum extat in vita Demetrii: Sicut Geometra postulata velut concessa sumunt, Non enim solent omnia docere, sed postulare, ut quedam sibi concedantur, quo facilius que volunt explicent: ita tyranni iustum esse existimant fratrem regni consortem interficere. Hæc causa impulit Cain, ut fratrem Abelem interficeret. Hæc incitavit

tauit Ismaëlem aduersus Isaac. Hæc arma-  
uit Esau contra Iacob. Deniq; nullum vitium  
tam late patet quàm emulatio in fratribus,  
qui cum non habeant conscientiam propriae in-  
dustriae, inuident aliene, & pugnant de ante-  
cellentia non iusta ratione, sed malis artibus.  
Omnibus enim cura viris, ut de Romulo &  
Remo Ennius ait, vter esset induperator. His  
igitur causis inflammati puerum ad se veni-  
entem, non iudicio neq; disceptatione, sed vi  
atq; impressione, tanquam ouiculam à reli-  
quo grege aberrantem & pastoris praesidio de-  
stitutam euertere conati sunt. Ac primum  
quidem interficere ipsum, & manus cognato  
sanguine polluere voluerunt: Postea vero in-  
tercessione Ruben permoti, qui parricidium  
abominabatur, & hoc impium nefariumq;  
piaculum fugiebat, in lacum aliquantisper  
abiecit, & rursus inde extractum Ismaëli-  
tis mercatoribus vendiderunt, cum non pos-  
sent liuidis oculis aspicere in imagine somnii  
dominantem.

Quis Colchus hæc, quis sedis incertæ Scythæ  
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare  
Gens iuris expers ausa? Non Busiridis  
Puerilis aras sanguis aspersit feri,  
Nec parua gregibus membra Diomedes suis  
Epulanda posuit.

Cogita enim quanta sit impietas & a-  
 via fratrum Ioseph, quos ab hoc tam nefario,  
 & nunquam antea cognito scelere, nec natu-  
 ralis noticia & affectus, nec iuris diuini con-  
 sideratio, nec innocentia Ioseph, nec reueren-  
 tia auo Isaac, & patri Iacob debita, nec ratio  
 scandali reuocare potuit. Omnis enim natu-  
 ra, donec naturali luce & affectu regitur, a-  
 mat cognatum sanguinem. Sed hanc lucem  
 & hos affectus extinguit Diabolus, ut scri-  
 ptum est, tenere eum captiuas mentes impio-  
 rum. Neq; vero tantum ex natura fontibus  
 hausserant noticiam, que docet innocentes nul-  
 la iniuria afficiendos esse, verum etiam ab auo  
 Isaac & patre Iacob didicerant omnibus be-  
 nefaciendum esse, inprimisq; domesticis &  
 eiusdem confessionis societate coniunctis. Sed  
 fertur equis auriga, neq; audit currus habe-  
 nas. A deo enim de sua mente & sanitate  
 deturbati sunt, ut nec diuini, nec humani iu-  
 dicii, nec propria conscientia respectu mouean-  
 tur. Furentes igitur offendunt Deum, & si-  
 bi vulnera conscientia accersunt, quibus im-  
 peditur vera inuocatio Dei, polluunt Ecclesi-  
 am, deformant doctrinam scandalis, prabent  
 occasionem Ismaëlitis & alijs vicinis gentibus  
 dicendi conuicia aduersus Deum Israël, in-  
 terficiunt quantum in ipsis est non modo Io-  
 seph,



*seph, sed etiam auum Isaac & patrem Iacob, perturbant Spiritum sanctum in pijs matronis, quarum aliquae moesticia extinctae sunt. Denique iram Dei & poenas praesentes atque aeternas in sese deriuant. Tanta Ilias malorum ex vno scelere secuta est. Vult autem Deus nos in haec exempla intuentes agnoscere nostram infirmitatem, & vigilantes esse contra Diaboli insidias. Vult & lapsos rursus erigi exemplis illorum summorum hominum, qui quanquam magna vulnera accepissent, tamen rursus sanati sunt. Dixi breuius de immanitate fratrum Ioseph, quam res tanta dici poscit. Nam huius rei magnitudo Lycurgum Atticum Oratorem desiderat, qui fuit acer & vehemens accusator scelerum, ut ostendit oratio contra Leocratem desertorem patriae. Sed quid agit in hoc concursu calamitatum Ioseph? An prorsus est columba muta? Ipsi quidem fratres mole erumnarum oppressi & nullum exitum prospicientes, ut scribitur Genesis 42. non modo significant, sed etiam declarant, qua deprecatione Ioseph vsus sit, cuius haud dubie haec summa fuit: Nolite, carissimi fratres, noui, inauditi & iniustitati exempli interficiendorum fratrum autores esse, sed potius cogitate quid naturae, quid Deo, quid parenti & auo, quid Ecclesiae debeatis.*



beatiss. Est enim hæc non scripta, sed nata lex, ut frater fratrem tanquam partem suæ naturæ defendat ac tueatur. Deinde cogit in natura humana appetunt conseruationem cognati sanguinis. Quod si vos hæc iura naturæ parum mouent, illa tamen prohibitio homicidij permouere debet, quæ ipsius Dei voce post diluuium promulgata est: Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem, quia ad imaginem Dei factus est homo. Non enim vult Deus suum cultorem & sacerdotem sine iusta causa interfici, sed iubet parci innocentibus & supplicibus. Subijcite & hoc vobis atq; apud animum proponite, quanto in luctu & squalore futuri sint sanctissimi senes Isaac & Iacob, vbi fama & auditione acceperint, vos seuisse in cognatum sanguinem. Ad extremum, parcite domesticæ Ecclesiæ, in qua sunt multe sanctæ matronæ, quas non dubium est mœsticia morituras esse, simul atq; ipsis de vestra immanitate & de mea nece allatum fuerit. Harum causarum consideratio vos à tanto scelere reuocet, & ad conseruationem fratris flectat. O ferrea pectora, quæ talibus gemitibus & lacrymis non magis mouentur, quam asperrimi, & nullo æuo moti scopuli in mari stantes, quanquam assiduis fluctibus tunduntur.

Porro

Porro ut piëtor ille vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Chalcas esset, mœstior Ulysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari: sic ego quibus verbis luctum Iacob amittentis filium describam non reperio. Nulla enim ex re humana parentes maiorem dolorem capiunt, quam ex calamitate & turpitudine liberorum, sicut econtra magnam eis læticiam affert virtus & florens fortuna liberorum. Longe superat omnem humanam eloquentiam mœsticia primorum parentum orta ex nece Abelis, qui futurus erat velut plantarium vere Ecclesie, & ex scelere alterius filij parricide. Sic David maluisset non reduci, si potuisset filium ab aeterna damnatione liberare, quam hoc modo reduci abiectis in æternum exitium filio & magna multitudine ciuium. Hic modus liberationis magis excruciauit Dauidem, quam regni amissio. Sed sciebat Deo reducenti obtemperandum esse, & agnoscebat iram Dei aduersus peccata sua & filij, in hac magnitudine pœna filij. Hæc exempla, etsi magnitudo eorum enarrari non potest, tamen pios commonefaciunt de summi luctus acerbitate, in qua versatus est Iacob propter amissionem filij ingenio, forma & virtute

virtute prestantis. Si enim David pressis &  
 flebilibus modis deplorauit filium degenerem,  
 qui iustas scelerum pœnas persoluit: quo tan-  
 dem animo Iacob tulisse putamus amissionem  
 filij, in quo imago paternæ auitæq; virtutis  
 tanquam in speculo terso ac polito poterat  
 agnosci? Soleo mihi sepe ante oculos ponere  
 Laurentium martyrem iacentem in craticu-  
 la, eumq; conferre cum Iacob amittente fili-  
 um. Sed multum interesse inter Laurentium  
 & Iacob animaduerto. Nam Laurentius  
 perfusus erat maximo gaudio, & quia letus  
 Deo obediebat, & quia iam spe Ecclesie coele-  
 stis ciuis erat, sicut in versu de Stephano di-  
 citur: Ibat ouans animis & spe sua damna  
 leuabat. Iacob vero ingenti mœsticia consti-  
 tatur non solum propter presens malum, sed  
 etiam quia priora vulnera in eo recrudescent.  
 Ut enim in corporibus, si quod membrum  
 male affectum est, non affert dolorem, si alio-  
 qui recte valemus, sed ubi morbus aliquis ac-  
 cessit, cientur etiam ille ægræ partes, videli-  
 cet, fracta aut luxata membra: Ita dum Ia-  
 cob curis conficitur propter filium Ioseph,  
 quem putabat à bestijs laceratum esse, omni-  
 um malorum præteritorum acerba sane re-  
 cordatio renouatur. Deinde cruciatus Lau-  
 rentij exiguo tempore durant. Hic vero totos  
 annos

annos duos & viginti suum cor edit, & egre  
 admittit consolationem. Etsi autem Demo-  
 critus diceret venditionem Ioseph casu acci-  
 dere: tamen vox diuina nos docet de causis  
 calamitatum Ecclesia. Non enim humano  
 consilio, sed diuino Ioseph in Aegyptum mis-  
 sus est, ut clare testatur Psalmus 105. Mi-  
 sit ante eos virum, in seruum venundatus est  
 Ioseph. Et ipse Ioseph Gen. 45. hac oratione  
 fratres compellat: Pro salute vestra misit  
 me Deus ante vos in Aegyptum. Non enim  
 vestro, sed Dei consilio hic missus sum. Quod  
 autem hec venditio non fuerit τυχεῖα ἀκτῶν  
 delicti, sed tantum δοκιμασία, Psalmus  
 quem paulò ante citauimus, satis declarat: Do-  
 nec veniret verbum eius, & eloquium Domi-  
 ni probauit eum. Non enim facile dijudica-  
 tur vera & ficta pietas, nisi aliquod incidat  
 eiusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic  
 vera fides periculo aliquo perspici possit. Neg-  
 vero tantum propter δοκιμασίαν, de qua ve-  
 rissime dixit Augustinus, Profectus fideli-  
 um sine tentatione non euenit, nec sibi quis-  
 quam innotescit nisi probationis examine,  
 Ioseph venditus est, sed etiam propter publi-  
 cas utilitates. Fuit enim ὀψήρευος & nutri-  
 cius familie paterne in maxima difficultate  
 annonae, & Ecclesiasticus ac politicus guber-  
 nator



nator reliquiarum Ecclesie in Aegypto, quas  
 & verbo pavit & bonis corpori necessarijs.  
 Etsi igitur omnis afflictio in presentia insua-  
 uis est: tamen exercitatis per eam affert  
 fructum iusticiae pacificum, ut in Epistola ad  
 Ebraeos scribitur.

Tertius actus continet seruitutem Ioseph,  
 in qua plurimarum virtutum exempla consi-  
 deratione & imitatione dignissima proponun-  
 tur. Etsi enim in Aegyptum abductus, &  
 Potiphari praefecto culinae regia venditus, ex  
 libero homine factus erat seruus: tamen si-  
 dem & alias virtutes, quae sunt propriae Eccle-  
 siae Dei pie inuiolateq; conseruauit, nec cum  
 fortuna propositum mutauit, aut propter ca-  
 lamitates alium colorem induit, ut Chama-  
 leon aut Polypus, de quo Theognis inquit:  
 Mentem habeas uasri Polypi, qui p̄tinus illa,

Se quibus admorit saxa referre potest,  
 sed quamuis mutata uite conditione, ac desti-  
 tutus omni humano consilio & auxilio, simi-  
 lis sibiip̄si semper fuit, nec unquam de suo cur-  
 su aut spe aut metu potuit dimoueri. Talem  
 virum vere bonum nasci difficile est, qui ma-  
 nibus, pedibus & mente sit τερσάγωρος. Mi-  
 ror equidem, & summis laudibus ad caelum  
 effero Danielelem, quem nulla res inflexit, ut  
 pium & honestum propositum in exilio aut  
 inter



inter leones, abijceret. Verum Daniel non solus in captiuitatem abductus est, sed habuit socios erumnarum Azariam & alios pios, quorum admonitionib. & exemplis fidem augere potuit. Audiuit etiam prophetam Ezechielem, qui fuit ~~seruus~~ <sup>seruus</sup> Jeremiae, & exules in officio suis concionib. retinuit. At Ioseph solus versatur inter Barbaros colentes idola, nec illum doctorem audit, cuius voce & exemplo erudiri & confirmari possit. Ut igitur Adamas inter gemmas maximum habet premium propter inuictam vim duarum violentissimae naturae rerum ferri ignisq; contemtricem: Sic Ioseph retinens decus constantiae in tanto concursu calamitatum, & in tanta bonorum doctorum exemplorumq; penuria, iure ac merito Danieli & socijs eius antefertur. Cum autem propter virtutis opinionem ad rei familiaris gubernacula, in domo herili collocatus esset, delatum ad se & traditum munus sic ornauit, ut & Domino fidem prestaret, & erga eiusdem sortis atq; conditionis homines, equitatem lenitatemq; exerceret, cumq; non modo superioribus, sed etiam equalibus conuenientia tribueret, vtrisque se carissimum esse sensit. Huic virtuti felicitas in omnibus consilijs & laboribus coniuncta fuit, ut scriptura testatur inquitens: Quacunque faciebat prospere

prosperos habebant successus. Ad hec ingentia ornamenta accessit forme dignitas, qua virtus sic commendatur, ut poma aurea in lance argentea gratiora esse solent. Erat enim, teste Mose, iuuenis forma prestans, cuius teneras malas dubia lanugo signarat, ac formam suauiore efficiebat non solum etatis vigor, sed etiam grauitas & modestia, & custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemq; maxime consequens verecundia, deniq; in labris Ioseph lepor quidam habitabat. Hec omnia contemplans domina nequam serui exemplum imitata est, sed artibus innumeris castissimam mentem Ioseph oppugnauit. Nam ut nunc non dicam de medicamentis fucati candoris & ruboris, quibus adultera haud dubie faciem pinxit, de magnificentia in vestitu, deq; odorum fragrantia, quae etatem ad exardescendum facilem vel sola inflammare poterant, mihi quidem blandiloquentia huius adulterae non dissimilis videtur Sirenum vocibus, quarum tanta suauitas & varietas fuit, ut ad earum saxa homines adhaerescerent. Quemadmodum enim ille inuitant Ulysses mollissimis versibus, quos Cicero sic conuertit:

O decus Argolicū, quin puppē flectis Ulysses,  
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?

Nam

*Nam nemo hæc unquam est transuectus cæ-  
rula cursu,*

*Quin prius astiterit vocum dulcedine captus:*

*Ita hæc non modo blanditias, sed etiam  
preces velut supplex ministro adhibuit, &  
precibus lachrymas misit, non illis quidem  
que cito arescunt, sed serias & ardentes, neq;  
semel atq; iterum, sed singulis diebus has ma-  
chinas castissimo iuueni admouit. Quam ve-  
ro arduum & difficile sit vincere tales illece-  
bras, sapientissimus poëta Homerus docet  
narrans Ulysses alligatum ad malum na-  
uis, & auribus sociorum cera obstructis & ob-  
turatis, vix tamen Sirenium cantus effugere  
potuisse. Significat autem malus nauis, ut  
hoc obiter dicam, rationis in libidinem atq; in  
alios non rectos impetus animi firmam & mo-  
deratam dominationem. Cera obstruens au-  
res sociorum Ulyssis significat diligentiam in  
vitandis illecebris, ut dicitur: Vitare pecca-  
ta est vitare occasiones peccandi. At Io-  
seph non tantum alligatus est ad malum na-  
uis, nec sola ratione frenat externos gestus, sed  
cogitat mandatum Dei, qui vult in genere  
humano lucere castitatis intellectum, ut scia-  
mus & ipsum esse mentem castam & castita-  
tis amantem, & huius virtutis mentione dis-  
cernamus eum à naturis immundis. De-  
inde*

inde metuit presentes & aternas libidinum poenas, quarum exempla horribilia in diluuiio & in deletione Sodome proposita diligenter considerauit. Metuit etiam amissionem excellentium donorum. Si enim Ioseph polluisset se adulterio, amisset ea dona, quibus ornatus erat, & desertus à Deo incidisset in plura peccata. Nam cæcitas est propria poena libidinum, ut Ephesios quarto scribitur, qua homines securi, magis magisque, fiunt prophani, & ruunt in plura scelera, qua sunt eis exitiosa, ut Paris, Sextus Tarquinius, Appius Decemuir, Antonius & alij innumerabiles præcipue propter libidines inciderunt in tragicas calamitates, quia regula immota est: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Præterea non vult deformare doctrinam scandalis, sicut David addidit adulterio, optimi viri cedem & multiplicia scandala, quibus horribiliter doctrina deformata, & Spiritus sanctus in multorum piorum pectoribus contristatus est. Postremo & his causis mouetur ut ab herili coniuge abstineat, ne vel noceat alterius conscientie, nec à Deo auellat animam, & impellat in perpetuum exitium, vel detrimentum afferat Reip. cum propter paucorum petulantiam sepe deleantur totæ gentes, vel ipse afficiatur poenis ciuilibus. Simul etiam



etiam orat se regi à Deo & confirmari contra illecebras peccatorum, & statuit se placere Deo, & exaudiri suam precationem propter mediatorem. Est igitur castitas Ioseph admirabilis & pene incredibilis, non tantum actio rationis, ut castitas Scipionis abstinentis ab aliena sponsa, sed lux quam verbo filius Dei in mente Ioseph accendit, ut cernatur voluntas Dei, & est incendium Spiritus sancti in corde, quo mouetur Ioseph ut obediat Deo, & confirmatur ne pericula pertimescat. Hec omnia complectitur Ioseph cum ait ad dominam: Quomodo ego possum hoc malum facere, & peccare in Deum? Quod perinde est ac si diceret: Non volo Deum offendere, nec abijere presentem gratiam, nec doctrinam scandalis deformare, nec contristare Spiritum sanctum, nec accersere pœnas publicas & priuatas. Ac ut nulla expauescerem numina cœlitum, ut de Cyclopius Homerus inquit, Οὐ γὰρ κέλῳ πῆς δῖος Ἀργυβοῦ ἀλέγουσιν Οὐ δὲ θεῶν μὰ κλέων, tamen aduersus Dominum ingratus nec esse nec videri volo, cum ingratitude vitium sit non solum maximum, sed etiam mater vitiorum omnium reliquorum. Præclare ergo in 3. libro de beneficijs Seneca: Nulli, inquit, præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inui-

tat,



rat, ingenuos, libertinos, seruos, reges, exules.  
 Non eligit domum, nec censum, nudo homi-  
 ne contenta est.

Cum autem Ioseph vim & persuasionem  
 fugiens, relicto pallio nudus obambular et, &  
 sola modestie tunica tegetetur, ibi pessima ac  
 perditissima domina, que artes nocendi scie-  
 bat, astutissime maritum aduersus fidelem mi-  
 nistrum incitat, nec dubitat impudentissimo  
 ore appellare insidiatorem castitatis, praeipu-  
 um huius virtutis defensorem. Hac calum-  
 nia circumuentus indicta causa in carcerem  
 coniectus atq; in numero maleficorum habi-  
 tus, singulis momentis expectauit poenam, qua  
 mæchi affici solent. Hanc imaginem conside-  
 rent pii, & sciant communem morbum esse fe-  
 re totius generis humani ingratitude, &  
 placide ferant, sibi pro optima voluntate &  
 ingentibus beneficijs, reddi malam gratiam,  
 odia, contumelias & alia mala, sicut omnes  
 historiae plene sunt exemplorum ingritudi-  
 nis. Attica ciuitas Miltiaden in carcere  
 vsq; ad mortem detinuit. Cum enim præci-  
 pue ipsius consilio & fortitudine Persicus ex-  
 ercitus in campo Marathonio profligatus es-  
 set, cumq; Lemnum adiecisset Attice ciuita-  
 tis imperio, postea infeliciter tentata pace ab  
 inuidis accusatus est, & publice damnatus,  
 ut quin-

ut quinquaginta talenta, id est, triginta mil-  
 lia coronatorum penderet. Ac ductus in car-  
 cerem, ibi aliquanto post mortuus est. Ea-  
 dem ciuitas Themistoclem optime meritum,  
 cuius sapientia victi sunt Perse in pugna Sa-  
 lamina, ex tota Graecia expulit. Non dicam  
 quid acciderit Aristidi, Cimoni, Camillo,  
 Scipioni, quibus partim Attica, partim Ro-  
 mana Respublica anguinam mercedem pro  
 maximis meritis rependit, sed breuitatis cau-  
 sa exemplo Belisarij contentus ero, qui toties  
 dux ac victor, tandem iussu Imperatoris Iu-  
 stiniani omnibus bonis spoliatus & orbatu-  
 s luminibus frequenti in via tuguriolum sibi sta-  
 tuit, ubi vitam egit victum mendicans à  
 pretereuntibus, cuius ea patientia fuit, ut  
 non aliter questus fuerit, quam ut diceret:  
 Viator da obolum Belisario, quem virtus ex-  
 tulit, cecidit inuidia. Hec exempla nos ad-  
 moneant, ut studeamus propter Deum recta  
 facere, non propter mercedem humanam, nec  
 frangamur animis cum non respondent homi-  
 num studia & officia nostrae voluntati & no-  
 stris meritis.

Actus quartus est carcer Ioseph. In hoc  
 actu, qui est Epitasis miseriarum Ioseph, non  
 tantum considerentur exempla patientiae,  
 modestiae & aliarum virtutum, sed etiam te-

stimoniam presentie Dei in arumnis sanctorum, iuxta hac dicta: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Est enim Ioseph noua procella obruitur, & propter futiles suspiciones adulterij in carcerem conijcitur: tamen non deseritur à Deo, ut in libro Sapientie cap. 10. dulcissime scribitur: Sapientia seu *σοφία* venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditq; cum illo in foveam. Sic Danielis tertio dicitur: Angelus Domini descendit cum Azaria & socijs eius in fornacem. Huius igitur presentie & auxilij fiducia acquiescamus, & à Deo petamus & expectemus vel liberationem vel mitigationem, sicut Ioseph has aut similes preces in carcere haud dubie recitauit: *Aeterne, viue & verissime Deus, qui te patribus nostris Abraham, Isaac & Iacob patefecisti tradita & sepe repetita promissione de venturo liberatore, & dixisti ad Abraham & ad omnes qui fidem Abrahe aliquo modo imitantur: Ego sum protector tuus & merces tua magna valde, Te oro fiducia promissi liberatoris, ut iuxta consilium sapientie & bonitatis tue mihi opem feras, cum quid infirmo sit utile, magis*  
norit

norit medicus quam agrotus. Si enim ita fert  
 voluntas tua, educ me ex carcere, & fac me-  
 cum signum ad bonum, ut videant qui ode-  
 runt me & confundantur, quoniam tu Do-  
 mine adiuuisti me & consolatus es me. Sin-  
 autem aliter statutum habes, & vis me vel  
 diutius exerceri in carcere, vel capitali sup-  
 plicio affici, paratus sum ad obedientiam.  
 Hac precatione, quæ Deo nec tempus nec mo-  
 dum liberationis præscribit, sed in paterna  
 ipsius voluntate acquiescit, impetrauit Io-  
 seph non modo interiorem consolationem &  
 magnitudinem animi victricem omnium pa-  
 uorum, sed etiam donum interpretationis  
 somniorum, incrementa lucis & sapientiæ spi-  
 ritualis, mitigationem in carcere, & glorio-  
 sam liberationem. Tanta enim magnitudine  
 animi in carcere aliquot annorum præditus  
 fuit, ut reliquos captiuos confirmaret, & si  
 quem forte consternatum videbat, hunc con-  
 solatione erigeret. Nam quodam tempore vi-  
 dens duos regios ministros cum stupore con-  
 sternatos, principem pincernarum, & pisto-  
 rum præfectum, qui propter delicta compedi-  
 bus vincti erant, ad vrrung, accedit, quærens  
 quæ sit consternationis causa. Illis vero re-  
 spondentibus, se vidisse somniorum imagines,  
 & de interpretatione vehementer sollicitos  
 b 2 esse,



esse, tali sermone eos compellat: *An non Dei sunt interpretationes? Narrate mihi somnia vestra. Cum autem diserte tribuat interpretationem sapientie diuina, ipso facto ostendit se deponere fiduciam & admirationem propriae industrie, & gloriari in solo Deo. Recitauit itaq; princeps pincernarum somnium suum cuius haec summa erat, se secundum quietem vinum expressum ex uuis decerptis de tribus vitium propaginibus praebuisse exhauriendum Pharaoni. Hanc imaginem somny ita interpretatus est Ioseph, ut affirmaret pincernam locū & munus pristinum recuperaturum esse. Pistoris vero regis Aegyptij somnium de tribus canistris, ex quorum supremo, in quo erant omnis generis pista pempta, escas rapiebant volucres, in eam sententiam interpretatus est, ut significaret futurum pistorem post triduum escam auiibus caeli. Enarratis somnijs hanc admonitionem principi pincernarum subiecit: Conserua mei memoriam in rebus tuis secundis, quia furtim abductus sum ex regione Ebraorum, & nullo meo merito in hunc carcerem coniectus sum. Ex his verbis primum discamus, non esse negligendas occasiones & media concessa, quae ad nos liberandos ex maximis miserijs atq; ex iniquissima conditione vitae profutura viden-*



videntur, & tamen paratos esse debere ad obedientiam, si Deus velit nos diutius exerceri. Deinde & hoc discamus, non pugnare confessionem veritatis cum patientia, & tamen refutationem calumniarum modestia temperandam esse, sicut Ioseph non patefacit immane scelus fratrum, sed id quasi velo quodam obtendit, & cognato sanguini nullam infamiae notam inurit. Sed nimis verum est, quod apud Lucanum Pothinus Eunuchus inquit: Nulla fides unquam miseros elegit amicos. Nam princeps pincernarum non recordatus est Ioseph, sed obliuioni tradidit eum. Quamobrem bene his versibus precipitur:

Ac si quos poteris, reg<sup>3</sup> officioq<sup>3</sup> iuuabis,

Sic tamen adiutos ne meminisse putes.

Etsi autem Ioseph non pendeat ex hominum beneuolentia & gratitudine, sed parebat & obediebat praecepto illi veteri: Neq<sup>3</sup> letabitur unquam, neq<sup>3</sup> morebit nimis, qui semper in Deo omnem spem reponet sui: tamen consentaneum est sanctissimum pectus sensisse vires tentationum & consolationum, postquam animaduertit se errasse de voluntate pincernae, & Deum differre liberationem. Quam enim difficile sit expectare consilium Dei, hoc est, credere inuisibilia & sperare dilata, & in hac fide & spe ad finem usq<sup>3</sup> perseuerare,

docet exemplum martyris, quod recitatur à Lactantio libro 5. cap. 11. Vidi ego in Bithynia presidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum aliquam gentem subegisset, quod vnus qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus est.

Differtur autem liberatio diuina in magnis periculis, vt vel nostra constantia exploretur, vel fides & inuocatio fiat ardentior, vel exitus ostendat nos immediate à Deo sine causis secundis adiutos esse. Has causas cum intelligeret Ioseph, non magis à pietate, quam Sol à suo cursu dimoueri potuit.

Quintus actus historiae huius de Ioseph continet gloriosum exitum tantorum agonum qui precesserunt. Nouit enim Dominus suos eripere ex tentatione, cumque verax & beneficus sit, neminem sinit tentari supra vires, sed dat cum tentatione exitum, vt possimus vincere. Vt autem constaret Ioseph non humanis consilijs liberari, diuinitus offeruntur Pharaoni regi Aegyptio duo somnia, vnum de septem tauris nitidis, quos totidem macilentis deuorant: Alterum de septem turgidis & prae grandibus spicis, quas absument totidem aride atq; exuccae. Sepe enim Dominus Ecclesiam in acie nouacula versan-

temo

tem monstratis somniorum imaginibus seruat ac tuetur, ut ostendit historia de Alexandro & Iaddo, quam recitat Iosephus libro undecimo capituli ultimo τῆς ἀρχαιολογίας. Cum Alexander Magnus Tyrum obsideret, & auxilium ac tributum à Iaddo pontifice maximo peteret, omniaq; iure victoris ab eo exigeret, quæ Dario solerent exhiberi, Respondit Iaddus se Dario vivente cui iuraverit, alium dominum non agnoscere. Hoc sapiens & pium responsum, quod fidem Iudeorum erga reges Persicos declararet, iuvenem victorem inflammavit, ardentem iam alioqui suapte natura. Quare expugnata Tyro, Palestinam cum infesto exercitu ingressus Gazam cepit, & Hierosolymæ phalngas admovit. Sed Iaddus per somnium à Deo monitus, cum cœtu sacerdotum & seniorum processit ei obviam ornatus veste pontificia, & pacem ab irato victore petiit. Ibi Alexander de equo descendens summum sacerdotem reuerenter salutat, & pacem promittit. Deinde à ducibus interrogatus, cur tantum honorem huic sacerdoti habuerit, respondit: Se in Macedonia ante bellum vidisse talem speciem numinis, ornatam simili veste, vocantem eum in Asiam & pollicentem successus, postea ingressus cum exercitu in urbem, Iu-

daicam gentem in fidem ac tutelam suam recepit. Ut igitur prior imago somnij monuit Alexandrum, ut parceret sacerdoti ornato tali veste, sic altera monitrix & hortatrix fuit Iaddo, ut veste sacerdotali indutus obuiam procederet Alexandro. Sed redeo ad somnia Pharaonis, que sunt ex eo genere, que Græci vocant *δημόσια*, id est, publicis rebus & publico statui aliquid significantia. Ut autem Ioseph suorum somniorum graues pœnas persoluit, sic Pharaonis somnia fuerunt occasiones gloriose liberationis, qua ex maximis miserijs atq; ex iniquissima conditione vite ereptus est. Cum enim Pharaon ex sermone sui pincerne cognouisset, Ioseph præditum esse dono interpretationis somniorum, misit rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit eum, ut verbis Psalmi utar. *Quod dicitur de hasta Achillis Ouidius dixit: Vulneris auxilium Pelias hasta tulit,* id Ioseph de somnijs usurpare potuit. Nam propter somnia venditus in Egyptum seruiuit, seruiens calumniose deformatus est, calumnijs circumuentus in carcerem coniectus est. Captiuus ministris regijs somnia enarravit. Hac occasione veniens in noticiam regis, omni cura ex somnijs orta eum liberavit,



rauit, cumq; & somnia perspicue interpreta-  
retur, & quid facto opus esset, sapientissime  
moneret, suffragatione regia curator earum  
rerum constitutus est, de quibus consilia cum  
alijs communicauerat. Quis autem non iure  
miretur hanc conuersionem mali in bonum,  
que est solius Dei opus & munus? Quis non  
cum Paulo apostolo exclamet? Deus auget  
cumulatus sua dona, quam à nobis postula-  
ta sunt. Etsi enim Ioseph seruiens & capti-  
uus totos annos tredecim nihil aliud in votis  
habuit, quam ut vindicatus in pristina liber-  
tatem seni patri redderetur: tamen non modo  
his optatis euentus respondit, sed etiam Pha-  
rao constituit eum dominum domus sue, et prin-  
cipem omnis possessionis sue, ut erudiret prin-  
cipes eius iuxta voluntatem suam, & senes eius  
sapientiam doceret. Quid tam porro mirandum  
est, quam quod Egyptij, quorum magna fuit  
insolentia, hunc locum dignitatis peregrino &  
nouo homini tribuerunt? Nam si credimus  
Attico oratori, oportet bonum gubernatorem  
talem esse, Primum sit ingenuus, liberis paren-  
tibus procreatus, ne propter generis humilita-  
tem, legibus que libertati fauent, sit infensus.  
Deinde oportet aliquod beneficium maiorum  
ipsius extare in populum, aut certe quod neces-  
sarium est, nullum esse publicum odium ciui-



tatis aduersus eos, ne si conetur eos ulcisci, ciuitati malum machinetur. Tertio conuenit ipsum ingenio modesto esse in quotidiana vita, ne patiatur se pecunia à patria abalienari, unde luxum tolerare queat. Quarto sit & prudentia & eloquentia instructus. Postremo magni animi sit, ne in periculis ac bellis populum deserat. Iam videamus, quid horum Ioseph ad Rempublicam opinione inuidorum attulerit. Et ut ordine omnia subducamus, Ioseph erat seruus Potipharis principis Laniorum, nec quisquam norat à qualibus parentibus susceptus esset.

Deinde naturale dissidium erat inter Ebraeos & Egyptios, quale est in rerum natura inter camelos & equos, aut inter cycnos & aquilas. Iam in quotidiana vita qualis erat Ioseph? Reipsa quidem castissimus, sed deformatus fama libidinum, & propter suspicionem adulterij in carcerem coniectus. At qua prudentia aut eloquentia eius esse potest? Quomodo enim aliquis cum uiuat turpiter, preclare dicere potest? Porro de eius fortitudine sic iudicabant inuidi, ut existimarent eum esse timidum & ignauum, quales sunt pleriq; serui, aut certe fraudulentum & uerteratorem. Sed verissime sunt illa memorabiles sententia Salomonis: Cum placuerint  
Domi-

Domino via hominis, inimicos quoque eius con-  
 uertet ad pacem. Item, Ut oculus videat,  
 & auris audiat, Deus facit utrumque. Id est,  
 ut valeat gubernator consilio & virtute,  
 deinde ut populus obtemperet, non excutiat  
 recta monentes, utrumque Dei opus & munus  
 est. Est enim singulare Dei donum in gu-  
 bernatore autoritas seu maiestas, que tribus  
 rebus constat, virtute, felicitate & inclina-  
 tione animorum diuinitus facta in ipso populo.  
 Hoc dono ornatus Ioseph non tantum admi-  
 nistravit politiam & œconomiam, sed etiam  
 studia doctrinae gubernavit, & Ecclesiam in  
 Aegypto collegit. Nam regem & subditos de  
 vera agnitione Dei erudiit, ut Psalmus te-  
 statur inquit: Erudiuit senes eius ut se-  
 metipsum. Deinde iussu regis preparans re-  
 media aduersus famem impendentem & fru-  
 ctus diligenter asseruans, quos in magna fer-  
 tilitate agrorum collegerat, fuit nutricius non  
 modo Aegyptiorum & aliarum gentium, sed  
 etiam familie paterna, cui Pharaon, ut suo  
 loco dicetur, tranquillum hospitium prebuit.  
 Nec vero dubium est formam regni Aegyptii  
 institutam à Ioseph, donec floruit, antecelluisse  
 omnium regnorum ordini, quaecumque fuerunt  
 postea toto orbe terrarum in Chaldea, Ionia,  
 Graecia, Rome. Ac mea quidem sententia  
 longe

longe errant, qui Soloni aut Augusto maiorem tribuunt politicam sapientiam, quam Ioseph, qui diuina luce regebatur, & Deum vere inuocabat, & ad hos fines sua consilia referebat, ut propagari vera religionis doctrina posset, & ut seruaretur Ecclesia Dei, & ut mores honesta disciplina regerentur. Hos fines intuebatur, quoties Egyptum lustrabat, quoties iudicia exercebat, quoties nouis legibus regnum Egyptium constituebat. Ut autem omnia aduersa generoso animo tolerauit, nec tanta vis tempestatum & concursus calamitatum quicquam de ipsius celsa constantia imminuit: ita nihil in secundis rebus in quenquam superbe ac violenter consuluit, nec presenti credidit fortuna, sed gubernationem clementia temperauit. Quomodo enim Sol cum in loco Boreali ad summum fastigium ascendit, tardissime mouetur, ut securitatem contatio efficiat: Ita Ioseph in summo fastigio & maximis successibus non elatus est fortune fauore, sed insigni moderatione usus est. Quam uero hec uirtus rara & difficilis sit cum alia multa declarant, tum precipue dictum Xenophonis, quod extat in octauo libro de disciplina Cyri: Longe difficilius est inuenire uirum bona eleganter ferentem quam mala. Nam  
res

res secundæ multos impellunt, ut fiant audaciores & petulantiores. At res aduerse eam vim habent, ut omnes sanos ad modestiam flectant: δοκεῖ δὲ μοι ὁ κῦβερ, χαλεπότερον εἶναι εὐερίν ἀνδρα τ' ἀγαθὰ κακῶς φέροντα, ἢ τὰ κακὰ. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πικροῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πάντων ἐμπροσθεῖ. Ac talis quidem fuit Ioseph in gubernatione, videlicet pius, sapiens, iustus, humanus, modestus, omnia ad utilitatem civium referens, oblitus commodorum suorum. Ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qualis autem fuerit erga fratres, quos fames cogebat in Ægyptum migrare, deinceps iuxta seriem historia dicendum est. Quanquam enim pectus ipsius ardebat vero atq; sincero amore erga fratres: tamen hanc vim fraterni amoris aliquandiu occultat, & omni sermone, gestu atq; actione summam severitatem ostendit. Non enim severe tantum in eos inquirat, tanquam in exploratores, sed etiam post inquisitionem eosdem in carcerem conijcit, & Simeonem tantisper in carcere detinet, donec reliqui emissi è custodia & leuati vinculis, fratrem Benjamin adducerent. Huius severitatis & officiosæ occultationis duas habuit probabiles & minime reprehendendas



dendas rationes, unam, quod metueret, ne  
furiarum tadis ardentibus de sua mente &  
sanitate deturbati, patrem Iacob aut fratrem  
Beniamin regnandi gratia interfecissent.  
Tantus enim furor est in cupiditate domina-  
tionis, ut non dubitet omnia iura diuina &  
humana propter principatum violare, sicut  
ille in Tragœdia inquit: Pro regno velim,  
patriam, parentes, coniugem flammis dare,  
Imperia precio quolibet constant bene. Al-  
teram, ut in eis agnitionem perpetrati sceleris  
hac seueritate excitaret. Etsi enim hæcenus  
sine lege, ut Paulus loquitur, vixerant, nec  
considerauerant peccati sui magnitudinem &  
atrocitatem, tamen mole ærumnarum op-  
pressi, & nullum exitum prospicientes, senti-  
unt horribiles cruciatus conscientie, qui his  
verbis describuntur: Merito hæc patimur,  
quia peccauimus in fratrem nostrum, viden-  
tes angustias anime illius, dum deprecaretur  
nos, & non audiimus. Iccirco venit super  
nos ista tribulatio. Non igitur existimemus  
Ioseph voluisse cupiditatem vindicte exple-  
re, sed hoc nobis persuasum sit, aliud eum sen-  
sisse, & aliud ostendisse, ut fratres à propha-  
na securitate ad salutarem agnitionem sui  
delicti reuocaret. Nam afflictiones emen-  
dant in nobis securitatem, & sunt nobis mō-  
nitri-



nitrices & concionatrices de peccato, de ira Dei aduersus peccatum, & de conuersione ad Deum. Ac vere de hac paterna castigatione, qua Ioseph utitur, dicta insignia Menandri & Socratis usurpari possunt. Sic enim Menander inquit: ὁ σκληρότατος πατὴρ ἴσους ἐν τοῖς νοθεύταιν τοῖς μὲν λόγους πικρὸς ὄσται, τοῖς δὲ ἔργοις πατρὸς. Durissimus quidem erga filium in admonendo verbis est, sed ipso facto pater. Socrates vero, πατρὸς, inquit, ὀπιμίσις, ἠδὲ φάρμακον. Exei γὰρ πλέον τὸ ὀφελουῖ τὰ δάκνοντος, Patris obiurgatio salutare remedium est. Plus enim habet utilitatis quam acerbittatis seu mordacitatis. Utranz sententiam Latinus poeta his versibus expressit: Sit licet in natos facies austera parentum, Equa tamen semper mens est & amica voluntas. Sic Deus illi irascitur quem peccantem non flagellat. Nam cui vere propitiuss est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet, ut preclare dixit Augustinus enarrans Psalmum 98. Sed redeo ad Ioseph, qui cum post variam & multiplicem duriciam animaduerteret fratres agnoscere suum delictum & de fratre natu minimo vehementer sollicitos esse, & patris senio confecti laxamentum proprie libertati antepo-  
nere,

nere, non solum largo flumine lachrymarum  
 vultum humectavit, deplorans communem  
 infirmitatem generis humani & insidias  
 Diaboli, sed etiam mutata persona, & remo-  
 tis arbitris solus cum fratribus colloquens ex-  
 clamavit: Ego sum Ioseph frater vester, quem  
 in Aegyptum vendidistis. Ac ne subitam  
 consternationem apoplexia sequeretur, mox  
 subiecit: Nolite in metu esse, neque durum  
 hoc vobis videatur. Nam propter salutem  
 vestram Deus me in Aegyptum premisit.  
 Cum enim intelligeret ipsos omni defensione  
 exutos esse, & linguam habere conscientia  
 peccati constrictam, non solum pretermittit  
 omnem accusationem, sed etiam bonitatis  
 abundantia patrocinium eorum suscipit, in-  
 quiens: Non vestro consilio, sed Dei volun-  
 tate huc missus sum. Non vestrum, inquit,  
 opus est, sed Dei. Non vos sollicitos habeat  
 recordatio pristina servitutis, que diuinitus  
 gubernata est, & ad salutarem exitum per-  
 ducta. Ponite metum, cum nihil detrimenti  
 ex servitute ceperim. Hac enim occasione  
 principatum Aegypti, & secundum à regia  
 dignitate locum obtinui, & ad tantæ gentis  
 gubernacula collocatus sum. Quod exemplum  
 commemorari potest illustrius clementiæ in  
 summa potestate omnium rerum? Est enim  
 clemen-

clementia, autore Seneca, temperantia ani-  
 mi in potestate ulciscendi, vel lenitas supe-  
 rioris aduersus inferiorem in constituendis  
 pœnis. Cum autem nihil sit, quod principem  
 magis commendet, quàm clementia, libet mi-  
 hi adijcere insignem locum de hac virtute, qui  
 extat in primo libro Seneca de Clementia:  
 Excogitare nemo quicquam poterit, quod  
 magis decorum regenti sit quàm clementia,  
 quocunq; modo is, & quocunq; iure prepositus  
 ceteris erit. Eo scilicet formosius id esse, ma-  
 gnificentiùsq; fatebimur, quo in maiore pre-  
 stabitur potestate, quam non oportet noxiam  
 esse, si ad naturæ legem componitur. Natura  
 enim commenta est regem, quod & ex alijs  
 animalibus licet cognoscere, & ex apibus,  
 quarum regi amplissimum cubile est mediog;  
 ac tutissimo loco. Præterea onere vacat, ex-  
 actor alienorum operum, & amisso rege to-  
 tum dilabitur examen. Est etiam regi insi-  
 gnis forma, dissimiliùsq; ceteris, tum magnitu-  
 dine, tum nitore. Hoc tamen maxime distin-  
 guitur, iracundissimæ ac pro corporis captu  
 pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere  
 relinquunt, Rex ipse sine aculeo est. Voluit  
 illum natura, nec seuum esse, nec ultionem  
 magno constaturam parare, telumq; detra-  
 xit, & iram eius inermem reliquit. Exem-  
 plar

plur hoc magnis regibus ingens. Est enim nature mos exerere se in paruis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderator esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Hactenus Seneca, cuius voce si qui non mouentur, audiant Salomonis concionem in capite vicesimo Proverbiorum: Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia fulsitur thronus eius.

Quid dicam de pietate Ioseph erga patrem, que omnem laudem & predicationem superat? Ut enim fratres clementer in gratiam recepit, & acceptam iniuriam non mutui odij pertinacia compensauit, sed beneficijs vicit, ita parentem vera pietate coluit & fouit, eaq; in re obtemperauit legi ciconiarum, quam recitat Aristophanes in Auibus:

Sed est & nobis auibus hæc antiqua lex  
 Descripta in legum tabulis, quas ciconie  
 Habent, paruas nam cum pater ciconias  
 Nutriuit, & iam facte sunt volatiles,  
 Oportet natos hanc referre gratiam  
 Parentibus, ut senes vicissim nutriant.

Curauit enim patrem vnà cum familia publicis vehiculis ex terra Canaan in Egyptum transferri, nec tantum famis tempore victum



victum necessarium familiae paterne suppeditavit, sed etiam in omni vita erga patrem & fratres beneficentiam exercuit. Placet mihi Epaminondas laudatissimus dux Thebanorum, qui dixit, Se nulla ex re maiorem fructum capere suarum virtutum & laudum, quam quod haberet parentes spectatores. Ita non dubium est Ioseph maiorem voluptatem cepisse ex dulcissima consuetudine parentis, quam ex omnibus opibus & honoribus totius regni Aegyptij. Quisquis autem suos in vita parentes colit, Hic vivus & defunctus est charus Deo. Iam hic multa dici possent de officijs liberorum erga parentes, si laxare habenas orationi vellemus, sed singuli doctrinam quarti praecepti intueamur, quae semper in conspectu esse debet, & semper circumferamus in mente honestissimam legem, quae apud Platonem extat: Parentes rectius coluntur donec sunt in hac vita superstites, nec potest illis ullam praeclarius simulachrum poni, quam si senio confecti similes sibi liberos aspiciant, & ab ijs foveantur, ac honore afficiantur usque ad extremum vitae actum. Neque vero silentio praetereundum est exemplum Pharaonis, qui non modo vicinis gentibus in fame operam tulit, sed etiam late propagari veram doctrinam curavit, & hospitium familiae Iacob



tranquillum praebeat. Congruit enim ad dictum Esaie: Reges erunt nutricij tui, & regine nutrices tuae, id est, principes & Respublica praebeant hospitium & alimenta Ecclesijs, & foueant doctores ac discipulos doctrinae de Deo, & earum artium quae Ecclesiae necessariae sunt. Pro hoc officio magna praemia proposita sunt, quae certissimum est tribui & in hac vita & post hanc vitam pijs, qui beneficii sunt erga Ecclesias & scholas. Moneantur ergo pijs principes & praeceptis Dei, & promissionibus praemiorum, & promissionum exemplis, ut in hoc genere beneficentiam exerceant. His causis Ioseph permotus cum tributa regni Aegyptij ordinaret, sacerdotum collegio redditus attribuit, ut essent doctrinae custodes. Cum autem Iacob ad vitae exitum vocaretur, adoptauit duos filios Ioseph, Ephraim & Manasse, & testatus est eos esse heredes promissionum quae patribus factae sunt. Ac diligenter obseruanda est lectio Ebraea in cap. 48. Geneseos, ubi precatio Iacob recitatur. Primum alloquitur Iacob omnes personas: Deus coram quo ambularunt patres mei Abraham & Isaac. Sic alloquitur Deum patefactum patribus, & seiungit suam inuocationem ab Ethnica. Deinde alloquitur filium: Deus qui pauit me vsq; ad hunc diem.

Hic

Hic est angelus qui me liberavit ab omnibus malis. In hoc dicto filius Dei nominatur angelus, quia Euangelium immediate profert ex sinu aeterni patris, & semper fuit & est custos suae Ecclesiae. Sunt autem proprietates divinae naturae, liberare à cunctis malis, à peccato & morte, & à furoribus Diabolorum, & restituere iusticiam & vitam aeternam.

Post mortem vero & magnificam patris sepulturam, quae testatur corpora sanctorum honore afficienda esse, & quia fuerunt templa Spiritus sancti & organa diuinarum actionum, & quia statuto tempore resuscitabuntur ad vitam & gloriam sempiternam, fratres Ioseph abiecerunt se ad pedes eius agnoscentes culpam & offerentes se ad poenam simul petentes mitigationem. His clementissime respondit Ioseph: Vos quidem cogitastis aduersus me malum, sed Deus cogitavit bonum, ut faceret quemadmodum hodie apparet, ut seruaret in vita populum multum. Quare non metuatis, Ego pascam vos & paruulos vestros. Vixit autem Ioseph annos centum & decem, & sepultus est in Aegypto. Ossa vero ipsius, quae tulerant filij Israel de Aegypto, sepulta sunt in praedio, quod Iacob donauit Ioseph in consinio Manasse & Ephraim, ut Iosuae ultimo scribitur. Talis igitur fuit Ioseph &

seph & seruiens & dominans, talis in aduersa & prospera fortuna, talis deniq; in concursu calamitatum, & in summa potestate omnium rerum fuit. Nos vero in hoc exemplum inuidentes discamus Deo tribuere laudem sapientie & bonitatis in gubernatione sanctorum, & virtutes Ioseph pro nostra mediocritate imitemur, & nosipsos doctrina & inuocatione preparemus ad militie societatem, in qua manipulares oportet similia pati afflictionum


Ioseph. Nam non certanti, ut preclare scripsit Prosper in Epigrammatis,  
 nulla est speranda corona,  
 Palmam qua capitur  
 gloria finis habet.

F I N I S.

L I P S I Æ

In officina Ernesti Vægolini  
 Constantiensis.

Anno M. D. LXVI.



176681d